

prima dignitas post episcopalem, ideo absente Episcopo Canonicis collegialiter celebrantibus jus pontificandi habet; idem Praepositus porro habet jus Capitulum congregandi, eidemque praesidendi, consultationes dirigendi, et conclusa Capituli effectui mancipandi. 2) Officium Lectoris Canonici, qui alias Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis nominatur, cuius officium est custodire Archivum et documenta fidei Capituli concredita. 3) Canonici Cantoris, cuius est officiorum divinorum in Ecclesia Cathedrali rite per agendorum curam habere. 4) Canonici Custodis, qui curam gerit totius supellectilis Ecclesiae. 5) Scholastici Canonici, ad erudiendum Clerum juniorem. 6) Cancellarii, qui Cancellariae capitulari et pro circumstantiis etiam episcopali praeest.

### § 135. Obligationes generales Canonicorum.

Canonici rite electi tenentur coram Episcopo fidei professionem emittere, et residere in loco Capituli ita, ut ultra tres menses per annum abesse nequeant, nisi id fieri deberet in Ministerio Ecclesiae. 2) Obligantur officio divino diligenter interesse, et Episcopo in omnibus sacris functionibus adsistere. Quodsi quis Canonicorum non interrupto quadraginta annorum spatio, diligenter Ecclesiae seu Cathedrali seu collegiatae servivit, ab omni deinceps absolutus est Ecclesiae officio, et ubicunque habitans, etiam quoad distributiones quotidianas pro praesente habetur. Quando vero Canonici etiam absentes distributiones, etiam quotidianas jure percipere possint non secus ac praesentes, vide Canonistas de Clericis non residentibus. 3) Canonici generatim evocati a Praesule, cuius con-

siliarios et adjutores agunt, negotia ecclesiastica sibi commissa executioni dare tenentur. 4) Capitula Episcopi visitationi subsunt, atque correctioni toties quoties necesse est.

### § 136. Jura Capituli qua Corporis distincti.

Capitulum, quatenus corpus peculiare ab Episcopo distinctum constituit, potest conventus de negotiis ad se pertinentibus sine Episcopo celebrare, in quo negotia per majoritatem votorum deciduntur, quae conclusa omnes Capitulares obligant, excepto casu, dum per Capitula, quae fundationes dioecesanas administrant, elocatio pecuniarum foundationalium per majoritatem fit, contradicente minore parte, vel etiam uno, dum haec pars in elocationem non consentiens pro casu emersuri damni responsabilis non est; 2) potest Capitulum condere statuta pro Capitularibus, quae tamen ut successores obligant, ab Episcopo, et pro re nata etiam a summa auctoritate civili confirmari debent.

## CAPUT VII.

### DE OFFICIALIBUS ECCLESIASTICIS EPISCOPORUM.

### § 137. Vicarius generalis Episcopalis.

Vicarius generalis Episcopalis, qui vice Episcopi jurisdictionem episcopalem exercet in dioecesi, cuius persona cum Episcopo identica, et ideo a Vicario ad Episcopum non datur appellata, dicitur a jure communis etiam *Officialis* \*), attamen in aliquibus regio-

\*) C. Licet. de Offic. Vicar. in 6. et in Clem. 2. de rescr.

nibus uti in Gallia usus obtinuit, ut ab Officiali distingvatur, et Vicarius nuncupetur; qui ea exercet, quae sunt jurisdictionis voluntariae: Officialis vero, qui jurisdictioni preeest contentiosae. Apud nos autem unus et idem Episcopi vices, in utriusque jurisdictionis exercitio, gerere consvevit; Vicarius generalis Episcopalis absente vel impedito Episcopo ex positivo tamen Episcopi mandato habet jus convocandi etiam Synodum dioecesanam, eidem praesidendi et statuta ferendi; praesente vero Episcopo Synodo dioecesanae interest et habet jus praecedentis sessionis post Episcopum ante omnes dignitates Capituli, atque semper est unus ex Judicibus Synodalibus<sup>1)</sup>). Sane etiamsi Vicarius ordinariam Episcopi jurisdictionem, Episcopi nomine in Dioecesi exerceat, plurima tamen sunt, inquit Benedictus XIV. (de S. D. L. II. Cap. VIII. N. 2.) quae virtute solius generalis commissionis, sine speciali Episcopi commissione, facere nequit, prout dioecesim visitare, item inquirere, corrigere, aut punire aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, vel administrationibus amovere<sup>2)</sup>), item beneficia conferre<sup>3)</sup>). Praeterea 2) concedere literas dimissorias ad Ordines, extra casum, quo Episcopus in remotis regionibus versetur<sup>4)</sup>), 3) ea, quae sunt mere liberalitatis et gratiae, vel speciem habent alienationis; ac proinde non potest ad beneficia, quae juris patronatus episcopalis sunt, Clericos nominare, praesentare, vel eligere; sic non potest beneficia supprimere, aut simul unire, vel

<sup>1)</sup> Vide supra de Judicibus Synod.

<sup>2)</sup> Capit. Licet Tit. De offic. Vicar. gener. in 6.

<sup>3)</sup> Cap. III. ibidem.

<sup>4)</sup> Cap. Cum nullus 3. de temp. ordin.

factas uniones revocare; nam haec omnia speciem referunt alienationis. 4) Neque beneficiorum resignationes, tam simpliciter, quam ex causa permutationis factas, admittere; quoniam earum admissio requirit potestatem destituendi, quae Vicario Episcopali sine speciali commissione non competit<sup>1)</sup>). Potest autem Vicarius Episcopalis praesentatos a Patronis instituere et electos confirmare, absque speciali mandato<sup>2)</sup>), institutio enim et confirmatio, non liberalitatis et gratiae, sed necessitatis et justitiae sunt actus, quos Vicarius generalis, vi generalis commissionis exercere potest.

### § 138. De Chorepiscopis, seu Vicariis Foraneis Episcoporum.

Chorepiscopi a choro, vico, ruri, quod ruri Episcoporum vices agerent dicti; de iis mentio occurrit in Concilio Neocaesariensi Can. XIV.<sup>3)</sup>, Concilio Niceno I. Can. VIII. et Antiocheno Canone X., de quibus Pidalion, ad Canonem VIII. Concilii Nicaeni I. observat: Quoniam indultum non est constitui Episcopum in vico aut civitate parva, in qua et unus Presbyter sufficeret, ut non dishonoretur nomen Episcopi, juxta Can. VI. Concilii Sardicensis, in similibus parvis civitatibus constituebantur Chorepiscopi.<sup>4)</sup> Et quoniam citatus Canon Concilii Neocaesariensis inquit: Chorepiscopi 70 Apostolorum seu discipulorum imitatione sunt, patet eos tantummodo Presbyteros fuisse; negari tamen nequit quandoque contigisse in Chor-

<sup>1)</sup> Glossa in Clem. I. de Renunciatione.

<sup>2)</sup> Decisio Rotae Roman.

<sup>3)</sup> In latinis collect. II. pars Can. XIII.

episcopum assumi, qui episcopali charactere esset antea insignitus, et a sua dioecesi ob persecutionis aestum expulsus, aut ejusdem administratione, in alicujus gravis criminis poenam, legitima auctoritate privatus. Quia vero hi Chorepiscopi Vicarii Episcoporū foranei<sup>1)</sup> etiam nominati, praeter jurisdictionem ad regimen loci, cui praeficiebantur necessariam, potestas quoque data erat conferendi minores Ordines, quibus tunc temporis accensebatur Subdiaconatus<sup>2)</sup>; et aliquando, cum nimirū episcopali charactere erant exornati, iisdem ab Episcopo loci facultas quoque delegabatur conferendi Ordines sacros; inde factum est, ut Chorēpiscopi tot condecorati praerogativis, eousque audaciae devenerint, ut in omnibus se Episcopis aequarent; quumque nec Canones Conciliorū, praecipue Canon VI. Concilii Sardicensis, neque etiam Epistolae decretales summorum Pontificum, prout Leonis magni (Ep. 88.) et Leonis III. ad eos in officio continendos suffecissent: idcirco seculo VIII. et IX. ita pluribus praeipientibus Ecclesiae legibus, Chorēpiscoporū ordo supprimi coepit, atque medio circiter seculo X. prorsus extinctus est. (Nat. Alex. hist. eccl. tom. 4. ad secul. IV. Append. ad dissert. 44.) Vicarii tamen Foranei etiam hodie sunt in Ecclesia, pro eo constituti ab Episcopis, ut pro certa parte dioecesis in pagis et oppidis jus dicant, in quibusdam levioris momenti causis decidant, et jurisdictionem exerceant, ad certos dumtaxat actus limitatam; a quorum tamen sententiis liberum est ad Episcopum appellare<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Ferand. Diacon. Breviar. C. 79.

<sup>2)</sup> Bened. XIV. de S. D. L. III. Cap. III. Nr. 6.

<sup>3)</sup> Benedict. XIV. de S. D. L. III. C. III. Nr. 5.

Aliqui foranei Vicarii etiam Consistorium proprium habent, uti Szigethiensis gr.-catholicus, et Tirnaviensis in Archi-Dioecesi Strigoniensi, consistoriorum tamen horum decisiones a consistoriis dioecesanis revidentur.

### § 139. De Archi- seu Protopresbyteris, alias Archi- et Vice-Archi-Diaconis, Decanis ruralibus.

In usu sunt nomina Archi-Diaconus, qui praeest parti dioecesis in plures districtus Vice-Archi-Diaconales divisae. Archi-Diaconatus est dignitas, et Archi-Diaconi plerumque sunt Canonici Ecclesiae Cathedralis, sunt tamen Archi-Diaconi etiam extra gremium Capituli. Eorum hodierna jura sunt: suos districtus visitandi, Episcopum visitantem in proprio districtu comitandi, Vice-Archi-Diaconos installandi et sepeliendi, et rationes Ecclesiarum revidendi. Idem in Ecclesia Orientali sunt Protopresbyteri rurales, alias Propapae vocati, quorum aliquando potestas eadem erat cum Vicariorum foraneorum. Exstinctis nempe Chorēpiscopis, sollicitudo lustrandi rusticās parochias, praevidendi parvis oppidis, corrigendi et puniendi in his degentes Clericos, quae prius Chorēpiscopis competit, translata fuit in Protopresbyters. Archi-Diaconos, Decanos rurales. Erant igitur Protopresbyteri vel Decani rurales in Chorēpiscoporū locum suffecti, Vicarii rurales seu foranei Episcoporū. Verum successu temporis usu ac consuetudine, non certe legitimate inductis, eorum potestas apud Orientales, prout Archi-Diaconorum apud Occidentales amplissima evasit, adeo ut pro bono Ecclesiae regimine necesse fuerit eorum jurisdictionem intra juris terminos coarctare; quapropter subtractae iis fuerunt causae criminales,

matrimoniales et beneficiales. Quocirca hodiē eorum potestas, quae semper fuit prout etiam ipsorum Chor-episcoporum nisi delegata ab Episcopo Dioecesis, ex mandati episcopalis formula, aut ex speciali Dioece-  
sium <sup>re</sup>observantia dimetienda est.

**§ 140. Jura per Protopresbyteros, seu Decanos ru-  
rales, seu etiam Vice-Archi-Diaconos de praesenti  
consuetudine exercita.**

Protopresbyteri, alias etiam Vice-Archi-Diaconi, Decani rurales, qui in districtibus suaे vigilantiae concreditis oculi et commissarii Episcoporum sunt, de praesenti praxi sequentia jura exercent: 1) Parochorum et Clericorum intra districtus suos moribus invigilant, et quotannis de moralitate Cleri, et obser-  
vatione disciplinae relationes Episcopo praestant. 2) Ecclesias visitant, ac rationes de redditibus Ecclesiarum desumunt, occurrentes abusus observant et tollunt. 3) Capitulis seu congregationibus Parochorum praesident. 4) Episcopi nomine Parochos in posses-  
sionem beneficiorum immittunt, introducunt et instal-  
lant. 5) Funebria defunctis Parochis persolvunt. 6) Episcoporum dispositiones effectuant. 7) Aliquando delegata ab Episcopo facultate, causas levioris momenti examinare ac processum ad informandum edere pos-  
sunt, ita tamen, ut jus ac sententiam dicere nullatenus valeant. 8) Protopresbyteri seu Decani rurales sunt tam pro Ecclesia, quam et pro statu civili \*) Inspectores scholarum sui districtus, easdem visitant, effectui or-  
dinationum tam ecclesiasticarum quam civilium in negotiis scholasticis editorum intendunt. Ludimagi-

\*) In Austriae Imperio.

stros corrigunt; in conferentiis denique scholaribus annue asservari solitis praesident, atque cum officiis politicis in negotiis scholarum externis immediate correspondent.

Protopresbyteri seu Decani rurales e concessione Episcopi gaudent jure cingulum violacei coloris defe-  
rendi, et honestantur titulo Admodum Reverendus Dominus. (In Hungaria.)

**§ 141. De officialibus Episcoporum ecclesiasticis  
aulicis.**

Officiales ecclesiastici aulici Episcoporum, qui dispositiones Episcoporum in scripta redigunt et ex-  
pediunt, acta et documenta dioecesana protocollis il-  
lata et ad Archivum episcopale reposita custodiunt,  
et regestant, sunt: 1) Director Cancellariae, qui si sit unus e Canonicis, Canonicus a latere nominatur, et est Cancellarius seu Protosyncellus Episcopi, et Se-  
cretarius episcopal, cum quo Episcopus praesidialia tractat. 2) Notarius consistorialis, apud Orientales una Proto-Diaconus episcopal et Ecclesiae cathedralis, qui protocollo Consistorii ducit et expedit, est-  
que persona publica, cujus subscriptiones instrumentis et documentis fide dignitatem dant. 3) Archivarius, Archivi custos et Regestator actorum. 4) Taxator,  
qui in judicialibus determinat taxam a partibus sol-  
vendam; demum sunt Actuarii Cancellistae et Expe-  
ditor. Hi cum Episcopo considerati officium dioece-  
sanum constituunt. Sede autem episcopali vacante  
officium vicariale nominari solet. Numerus et sphaera  
activitatis officialium aulicorum pendet ab Episcopi arbitrio, et circumstantiis. (Ex usu.)

### § 142. Consistorium Episcopale.

Consistorium est coadonatus Episcopi Senatus ad consilium, et Tribunal, ad judicium, cuius pars principalis et essentialis Capitulum est, dein Assessores plures e Clero reliquo per Episcopum nominari soliti. Vocatur etiam sacra Sedes consistorialis. Praeses ejus est Episcopus, vel Vicarius generalis Episcopi. Assistentes: Defensor vinculi matrimonialis, et professionis religiosae, Fiscus Consistorialis, Pauperium Advocati, Medici, et Chirurgi. Notarius Consistorii est Referens, et una Protocollum consistorii ducit.

## CAPUT VIII.

### DE PAROCHIS, PAROCHIARUM ADMINISTRATORIBUS, COOPERATORIBUS ALIAS CAPELLANIS, ATQUE DIACONIS.

### § 143. De Presbyteris.

In Hierarchia ecclesiastica divina ordinatione constituta secundum locum vel gradum post Episcopos tenent Presbyteri secundi ordinis Sacerdotes, prout S. Clemens Romanus in Epistola 1-a ad Corinthios docet: „Summo quidem Sacerdoti (Episcopo) inquit, sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus (Presbyteris) locus proprius assignatus est, et Levitis (Diaconis) sua munia incumbunt.“ Sanctus Ignatius Martyr autem in Epistola ad Smyrnenses, ait: „Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos.“ In Epistola vero ad Trallianos: „Decet singulos vestrum et praecipue Presbyteros refocillare

Episcopum; ac denique in Epistola ad Magnesianos: „Hortor inquit, ut hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco et Presbyteris loco senatus apostolici.“ Ex his patet Presbyteros esse in adjutorium Episcopis, sicut 70 discipuli Domini, quorum Presbyteri successores sunt, Apostolorum adjutores erant; S. Paulus in Epistola ad Titum scribit: Propterea reliqui te Cretae, ut constituas per civitates Presbyteros \*)

### § 144. De jure Presbyterorum docendi.

Interpretes Canonum Ecclesiae orientalis jus docendi Episcoporum proprium esse adstruunt, ita Balsamon in Canone XIX. Concilii Trullani: „Nota inquit ex hoc Canone, quod docere populum solis Episcopis datum est.“ Idem Balsamon insuper ad Canone LVIII. SS. Apostolorum inquit: „Episcopalis dignitas in docendo consistit; et omnis Episcopus debet docere populum pia dogmata et statum orthodoxorum. Speculator enim ideo constituitur, ut quae sui sunt populi attendat; et ideo Episcopus est appellatus. Porro autem etiam Presbyteri tales esse debent, quia etiam penes Episcopos sedent in superioribus cathedris. Episcopus ergo et Sacerdos, qui non sic facit, sed negligenter est affectus, segregatur; sin autem in cordia perseveret, deponitur. Presbyteri enim secundum episcopalem admonitionem et non suo arbitrio docent.“

Quod autem secus intelligi non potest, nisi quod Presbyteri in iis quoque, quae proprii ordinis sunt, Episcopis subordinati sint e ratione, quoniam cura

\*) Confer. supra § 13.

animarum principaliter Episcopis concredita est, de ea rationem reddituris juxta Canonem Apostolorum 39 et subnexam interpraetationem\*). Nam Episcopus in ordinatione Presbyteri etiam munus docendi confert Presbytero, sequentem formulam deprecatoriam sacramentalem adhibendo: „Deus in virtute magnus, mirabilis in consiliis super filios hominum; ipse Dominus etiam et istum, quem tibi Presbyteri gradum subire complacuit, dono sancti tui spiritus adimple, ut inculpate sancto tuo altari adsistere dignus fiat, regni tui evangelium annunciare, veritatis tuae verbum sanctificare, dona et hostias spirituales tibi offerre, populumque tuum per lavacrum regenerationis secundae remissionis peccatorum innovare.“

### § 145. De jure Presbyterorum ligandi et solvendi, seu absolvendi a peccatis.

Interpretes Canonum orientales jus Presbyterorum absolvendi a peccatis adhuc magis quam jus docendi controvertunt; sic Balsamon, ad Canonem XIV. Concilii Neocaesariensis, apud Beveregium pag. 413. inquit: „Nota ergo ex hoc Canone, quod etiam Sacerdotes non possunt confessiones peccatorum excipere et peccata remittere, nisi id ab Episcopo ipsis concessum fuerit, quandoquidem hoc nec Choropiscopi possunt, qui tamen plura habent privilegia quam Sacerdotes. Quod autem septuaginta discipuli Domini non habuerint facultatem dimittendi peccata, clarum est ex Libro Actorum Apostolorum, in quo scribitur, Philippum e septem Diaconis unum descendisse in

\*) Vide Pidalion Interpretatio ad Canonem 39. SS. Apostolorum.

Samariam et baptisasse multos; ad quos miserunt Apostoli Petrum et Joannem, qui quidem eo profecti imposuerunt manus iis, qui baptisati fuerant; et acceperunt Spiritum Sanctum, in nullum enim eorum adhuc descenderat.“ Qui interim locus ex Actibus Apostolorum per Doctorem Graecorum Balsamonem incongrue ad absolutionem a peccatis applicatur, cum per Baptismum plena conferatur omnium peccatorum remissio, et citatus locus de collatione Sacramenti Confirmationis Episcopis propria intelligi debeat. — Sed et ipse novissimus codex Canonum Graecus Pidalion in Nota 1) ad Canonem XXXIX. SS. Apostolorum sequentia quoad hoc objectum tradit: „Propterea Presbyteri per literam Episcopi et voluntatem accipiunt ab Episcopo facultatem ligandi et solvendi. Quia habentes hi interne in Sacerdotio potestatem comprehensam remittendi et retinendi peccata, per hanc facultatem et scripturam Episcopi obtinent adhuc et operationem hujus negotii spiritualis. Interim plures Episcopi non solum per scripturam, sed et per manuum impositionem creant spirituales Patres, quod est multo securius, et nullam inconvenientiam gignit. Quia manuum impositio est communicatio benedictionis, secundum Tarasium et Synodum VII. (Nota ad Can. VIII. et XXX.) et confert gratiam spiritualem; quia per impositionem manuum juxta Acta Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus. Veritati proinde conformiter imponunt Episcopi manus iis, quos Patres spirituales (Confessarios) constituunt, tam relate ad illorum sententiam, ex quibus est unus Simeon Tessalonicensis, qui dicunt per ordinationem non conferri simul potestatem ligandi et solvendi, sed soli Episcopi eam habent; quam etiam relate ad illos, qui asserunt \*

potestatem in ordinatione acceptam per impositionem manuum Episcopi operativam reddi.“ Ex quibus evidens est, aliquos ex Doctoribus Graecorum in ea esse sententia: per ordinationem non conferri Presbyteris simul etiam potestatem ligandi et solvendi, id est remittendi et retinendi peccata, sed eam per distinctam ab ordine manuum impositionem debere per Episcopos conferri. Quae tamen sententia repugnat ipsi praecationi per Episcopum in ordinatione Presbyteri adhiberi solita, quae est forma sacramenti, gratiae sacramentalis collatae effectus clare indicans, in quantum relate ad hanc facultatem indicta precatione § priori citata haec occurunt: „Adimple hunc, quem Presbyteri gradum subire voluisti, dono sancti tui Spiritus, ut dignus fiat populum tuum per lavacrum regenerationis secundae (sive poenitentiam, quae est lavacrum lacrymarum) remissionis peccatorum innovere.“ In qua opinionum Graecae Ecclesiae Doctorum diversitate soliditas doctrinae catholicae comprobatur, juxta quam Sacerdotes in ipsa ordinatione recipiunt potestatem absolvendi ex eo quod remissio peccatorum supponit qualitatem et potestatem supernaturalem, quae iisdem communicatur in sacramento Ordinis. Ast quoniam ejusmodi potestas exerceri debet per modum judicii, et judicium supponit jurisdictionem, seu subditorum adsignationem, hinc illius potestatis exercitium dependet ab Episcopo, qui solus subditos assignat; ita ut absolutio a peccatis invalida sit, si absque jurisdictione tribuatur, excepto mortis articulo, quo Ecclesia ex lege omnibus sacerdotibus jurisdictionem impertitur.

### § 146. Origo Parochiarum.

Cum numerus fidelium a prima praedicatione S. Petri, dum Hierosolymis tria millia hominum sancto Baptismate abluti Christi gregi adlecti sunt, in dies amplius multiplicaretur; qui perseverantes erant in doctrina Apostolorum et communicatione Sacramentorum, tam in ipsa civitate Hierosolymorum, propter multitudinem credentium, fideles in plures coetus distributi, quam et in singulis vicis in adjutorium Episcoporum Presbyteri praefecti sunt, qui temporibus persecutionis nominis Christi in privatis fidelium aedibus, vel in speluncis subterraneis coetus suos docebant, et sacramenta administrabant. Qui distincti coetus Parochiae, Presbyteri vero illis praepositi Parochi adpellabantur. Cessante autem persecutione sub Imperatore Constantino Magno Gentilium templo christianis addicta, et Ecclesiae parochiales factae sunt. Multiplicatae sunt dehinc Parochiae per id, quod 1) Principes aliique Proceres capellas et sacella erigere coeperint, quae dein in parochiales ecclesias conversa fuerunt. 2) Constantinus Magnus partim ipse, partim alii ipso auctore templa in urbibus extruxerunt. 3) Ob crescentem fidelium numerum et locorum distantiam Parochiae in plures dividebantur.

### § 147. Notio Parochi.

Parochus est Presbyter, ad curam animarum in coetu fidelium, qui Parochia dicitur, ex officio exercendam Episcopi, vel superioris auctoritate constitutus. — Hinc ad notionem Parochi necessaria sunt sequentia 1) ut habeat Presbyter ad id, ut sit Parochus

fideles proprios, quorum curam spiritualem in determinato territorio parochiali gerat; 2) ut potestatem propriam, in quantum haec potestati delegatae et vicariae opponitur, animarum curam gerendi ab Episcopo sibi datam possideat; 3) ut sit subordinatus Episcopo, qui jurisdictionem Parochorum respectu exercitii limitare potest, si Ecclesiae utilitas id poscat.

### § 148. Jus Parochorum Sacraenta administrandi.

„Sic nos existimet homo ait S. Paulus Apostolus \*), ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.“ Hinc Sacerdotibus Parochis competit jus fidelibus Parochiae suae Sacraenta administrandi in specie 1) Sacramentum Baptismi, atque hinc jus servandi fontem baptismalem, et matriculam baptisatorum solis Ecclesiis parochialibus proprium est; 2) administrandi Sacramentum Eucharistiae tempore paschali, et porrigiendi sacrum viaticum infirmis; 3) ad Parochum pertinet administratio Sacramenti Poenitentiae, in quantum Episcopus jurisdictionem pro propriis parochianis impertitur, tamquam pro subjecto exercendae potestatis ligandi et solvendi designato; atque in quantum quis parochianorum Parocho proprio saltem semel per annum confiteri tenetur, sine tamen exclusione Episcopi, vel Sacerdotum, qui ab Ordinario ad excipiendas fidelium confessiones fuerint approbati; 4) administrandi Sacramentum extremae Unctionis; 5) jus assistendi Sacramento Matrimonii et quidem ita, ut in casu contrario Matrimonium illicitum sit; 6) jus Parochi est exigendi ab extraneis sacerdotibus, ut quis sacram Missae Sacrificium celebrare, aut sacram quamcumque functionem in Ecclesia parochiali peragere intendens ab eodem facultatem petere teneatur.

\*) I ad Cor. C. 4. v. 1.

### § 149. Jus praedicandi verbum Dei.

Parochis qua Sacerdotibus jus esse docendi seu praedicandi doctrinam christianam, ad quod gratiam sacramentalem in ordinatione accipiunt, superius § 144. demonstratum est.

Matthaeus Blastares apud Beveregium pag. 94. Syntagma Cap. VI. relate ad jus praedicandi Presbyterorum sequentia scribit: „Canon sanctorum Apostolorum LVIII. non solum Episcopum sed et Presbyterum populum sibi subditum dogmata ad rectam fidem et honestam vitam dirigentia docere jubet. Iis clamat Deus per Prophetam Ezechiel: si non denunciaris, nec locutus fueris, morietur injustus in injustitia sua, ejus autem sangvis de manu tua requiretur. Magnus autem Paulus etiam Presbyterum sobrium, vigilantem, non pigrum, sermonem fidelem prout didicit amplectentem, et populum in salutari doctrina exhortare, et contradicentes refellere jubet. Ideo Presbyteris concessum est Episcopis adsistere, unaque sedere, utrisque enim curae est populi in melioribus profectus.“ Pidalion autem in Nota ad Canonem citatum SS. Apostolorum addit: „Ideo et divinus Chrysostomus dicit, sermone 11. in Epistolam ad Timotheum: Non est magna distinctio inter Episcopos et Presbyteros, quoniam et Presbyteri acceperunt magisterium et curam Ecclesiae.“

### § 150. Jus Parochorum omnes functiones rituales peragendi.

Functiones rituales, quas peragunt Parochi in ambitu suae Parochiae, sunt 1) purificatio mulieris

post partum, seu introductio ejus in Ecclesiam; 2) benedictio aquae, carnum, ovorum, uvarum etc., atque palmarum, secundum ritum in Euchologio praescriptum; 3) ductus processionum; 4) sepultura parochianorum in coemeterio proprio. Praeter haec autem 5) promulgationes matrimoniorum intra ambitum Parochiae contrahendorum, item dierum festorum, jejuniorum, indulgentiarum a summo Pontifice, et ab Episcopis promulgari praeceptarum. 6) Confectio protocollorum parochialium baptisatorum, copulatorum et mortuorum, et expeditio pro his singulis instrumentorum publicorum. 7) Curae et inspectionis relate ad debitam administrationem proventuum Ecclesiae parochialis.

#### § 151. Jus exigendi convenientem sustentationem.

Jus ad convenientem Parochi sustentationem fundatur in sacris scripturis, S. Paulus ad Corinthios Cap. IX. v. 13: „Qui altari inserviunt de altari manducant, dignus est operarius mercede sua.“ Proinde Parochus habet jus exigendi sive a Patrono, sive a Parochianis seu utrinque honestam vitae sustentationem, omnesque proventus ad illum finem destinatos percipiendi. Huc referuntur 1) Jus exigendi a parochianis praestationes, in operis, frugibus, et pecunia consistentes, juxta cuiusvis Parochiae contractum, consuetudinem et Patroni liberalitatem.; 2) jus stola a parochianis suis juxta ordinationes Episcopi, visitationis canonicae, aut consuetudinem exigendi.

#### § 152. Jura Parochorum, relate ad Scholam parochiale.

Parochus est immediatus superior, et Director Scholarum in ambitu propriae Parochiae existentium 2) Parochus est ordinarius Docens religionis et Catecheta in Schola, juxta approbatos tamen per Episcopum Catechismos, aliasque religiosos libros docere obligatus.

#### § 153. Limites jurisdictionis parochialis.

Jurisdictionem parochiale certis limitibus circumscriptam esse opportet 1) nulli Parochorum licet in aliena Parochia, aut alienis parochianis sacras functiones peragere, nisi expressam vel tacitam concorrentis Parochi facultatem possideat. 2) Jurisdictio Parochorum ad forum internum restricta est; quare non possunt Parochi poenas externas et censuras infligere, lites decidere, sed tantum componere, nec in Canonibus aut legibus ecclesiasticis dispensare, nisi quantum delegatione Episcopi, vel consuetudine iis nonnullis in casibus indulgetur: uti in legibus jejuniorum relate ad singulares personas, item ab operibus servilibus diebus festis.

#### § 154. De Parochis perpetuis et temporalibus.

Parochi perpetui sunt, qui relate ad suam Parochiam formalem Investituram et canonicam institutionem seu installationem ab Episcopo medio Decani districtualis obtinuerunt; — Est autem Investitura Litera Episcopi solemnis, qua Parochia jure proprio

sub praesidio sacrorum Canonum possidenda confertur, cum episcopali mandato ad districtualem Protopresbyterum vel Decanum, ut investitum Parochum in officium et beneficium canonice introducat et installeat; quae introductio et installatio debitibus cum formalitatibus intra sacrorum solemnia perfecto episcopali mandato, traditione Evangelii et Clavium Ecclesiae, item extra Ecclesiam traditione omnium rerum ad Ecclesiam et Parochiam spectantium penes Inventaria ab utrinque et a repraesentante Patroni Ecclesiae subscribenda perficitur. Investitura autem tantum examinatis et per Synodale Examinatorium adprobatis Presbyteris datur, qui intra duos menses a suscepto munere Parochi professionem fidei in manus Episcopi, aut hujus Vicarii deponere obligantur. Investiti Parochi sunt perpetui, idest sub praesidio sacrorum Canonum constituti, neque praeter viam juris, ac nonnisi processu canonico, et pronunciata per superiora quoque fora usque ad judicium summi Pontificis revisibili sententia ab Episcopo amoveri possunt. Parochi autem temporales sunt, qui Investitura carent, proinde tantum nominales, Administratores Parochiarum pro tempore constituti ad nutum Episcopi amovibiles.

### § 155. De Capellani vel Cooperatoribus.

Cooperatores vel Capellani sunt Presbyteri Parochis in adjutorium dati propter fidelium et sacrarum functionum copiam, aut propter maiorem Parochiae extensionem, vel propter debilitatem et infirmitatem Parochi. Cooperatores pro Parochis, vel loco Parochorum omnes functiones muneric parochialis e commissione Parochi peragunt, penes responsabilitatem

relate ad regimen Parochiae ipsi Parocho incumbentem, responsabilitate Cooperatorem solummodo quoad propria facta manente.

Noverint autem Parochi, Cooperatores duntaxat laborum suorum socios esse, neque ad commoditatem aut fovendam eorum incuriam et segnitiem datos esse; ut adeo Cooperatoribus licet provisi, principales operarii et pastores concredit gregis parochialis illi sint, responsabiles Deo; beneficium enim datur propter officium, et nonnisi ipsis haud sufficientibus Cooperatorum opera utantur.

### § 156. De Diaconis.

Ad Hierarchiam divina ordinatione institutam spectant etiam Diaconi, quod patet ex orationibus, quibus Ecclesia graeca ordinat Diaconos.

#### Oratio I.

Domine Deus noster, qui destinatis ut Ministri fiant et illibatis tuis Mysteriis deserviant, sancti tui Spiritus copiam effundis, huic, quem in Diaconi Ministerium promoveri Tibi complacuit, gratiam Stephano Proto martyri tuo, in opus ministerii hujus a te primum vocato concessam largire.

#### Oratio II.

Deus, Salvator noster, qui incorrupta tua voce, ministerii legem Apostolis tuis sanxisti, et Protomartyrem Stephanum ejusmodi renunciasti. — Ipse Domine servum tuum hunc, quem Diaconi ministerium subire voluisti, sancti et vivifici tui Spiritus adventu,

omni fide, et charitate, et virtute, et sanctificatione adimple<sup>1)</sup>.

Cui viva Traditioni insistentes Patres Synodi Neocaesariensis, originem et institutionem Diaconorum a primis Diaconis ab Apostolis ordinatis repetentes, Diaconos tantum septem esse debere, quamcunque magna esset civitas Canone XIV. statuerunt. Quod et Romae observatum est teste Zozomeno Libro 7. Hist. C. 19. his verbis: „Diaconi apud Romanos hactenus non plures sunt quam septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis ordinati sunt.“ Quia autem Ecclesia Constantinopolitana etiam 100 habebat Diaconos, Concilium Trullanum, ut evitaret observantiam praeadducti Canonis Concilii Neocaesariensis, Canone suo XVI. originem Diaconorum non a septem Diaconis per Apostolos ordinatis<sup>2)</sup> repetendam esse docuit his verbis: „Quoniam Actuum Liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, Neocaesariensis autem Synodus in a se editis Canonibus aperte disseruit, quod septem debent esse Diaconi ex Canone, etiamsi valde magna est civitas; ex libro autem Actuum Apostolorum persvadeberis: nos, cum dicto apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos locutos esse non de viris, qui ministrant Mysteriis, sed de ministerio, quod in usum mensarum adhibebatur, seu pauperum.“ Ex quibus patet, quod Concilium Trullanum adducto Canone in fidem totius Ecclesiae Ritu ordinationis Diaconorum, quorum origo a septem Diaconis primis deducitur, expressam impegisse, cui

<sup>1)</sup> Vide Rituale Episcoporum Archiereaticon in ordin. Diaconi Goar. pag. 208. et 209.

<sup>2)</sup> Actus Apostolor. C. 6. v. 1.

et novissimus Codex Canonum Graecus Pidalion contradicit nota 1) ad Canonem XVI. Synodi Trullanae sequentibus: „Hinc, idest hoc Canone decepti aliqui dicunt, istos (septem Diaconos, qui in Actibus Apostolorum occurrunt, non oportere pingi qua Ministros Mysteriorum cum thuribulo, cum stichario, et orario. Quoniam vero S. Ignatius in Epistola ad Tralianos memorat, quod Archi-Diaconus Stephanus ministrabat ad altare Jacobo fratri Domini, atque Cap. 4. et 46. Libri 8-i Constitutionum apostolicarum, etiam illi septem Diaconi, inter quos et Stephanus, cum Presbyteris et Episcopis qua Ministri Sacramentorum numerantur, conveniens omnino est, ut qua Ministri Sacramentorum pingantur.“

### § 157. De Officio Diaconorum.

Diaconorum officium est praedicare; id patet ex Canone Apostolorum XXXVI.: „Siquis Diaconus non suscipiat Ministerium et curam sibi commissam populi, sit segregatus donec eam susceperit.“ Quem Canonem Balsamon sic interpretatur: „Siquis Diaconus ad docendum pertinentem manuum impositionem acceperit, et suum munus non impleat, segregetur.“ Alterum munus Diaconorum est baptisare, in quem finem et Diaconissarum ordo institutus est. Philippum quoque Diaconum baptisasse Actus Apostolorum testantur. Denique munus Diaconi est ministrare in celebratione Mysteriorum, imprimis in oblatione Sacrificii Sacerdoti.

### § 158. De Officio Diaconorum recipiendi poenitentes.

Canon Apostolorum LII.: „Siquis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum, qui a peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur.“

Balsamon ad hunc Canonem observat: „Nota ergo ex praesenti Canone, non solis Episcopis et Sacerdotibus concessum est hominum confessiones audire, et peccata remittere, sed etiam Diaconi cum episcopali permissione confessiones audiunt.“ S. Cyprianus autem ob persecutionem Carthagine absens scribit de reconciliatione lapsorum: „Si exitus urgere cooperit (idest poenitentes lapsi in agone constituti fuerint) non exspectent praesentiam nostram, sed apud Presbyterum vel etiam Diaconum exomologesim suorum peccatorum faciant, ut manu eis in poenitentiam imposita trans-eant ad Dominum in pace.“ Errasse tamen Balsamonem ex eo patet, quod citato Canone sicut etiam adducto S. Cypriani eloquio non sit sermo de confessione et absolutione sacramentali, sed de receptione lapsorum, qui post baptismum idolis sacrificarunt, in communionem Ecclesiae, contra Novatianum haereticum, qui dixit: „Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo, et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post ista omnia morieris; quaecunque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quaeris, accipies.“

Hodie Diaconi ministrant ad altare, et in sacris functionibus Sacerdotibus; item verbum Dei annunciant; non baptisant autem nisi in casu necessitatis ideo, quia juxta ritum orientalem confirmationis

quoque Sacramentum simul cum baptismo confertur, cuius Ministri Diaconi esse non possunt. Diaconi solent imprimis esse penes Ecclesias Cathedrales, alias in solemni sacrorum celebratione Presbyteri Diaconorum vices obeunt.

### § 159. De Diaconi sessione, honore, et gradu inferiori.

Canon XX. Concilii Laodiceni praescribit: „Non oportet Diaconum ante Presbyterum sedere, sed sedere cum jussu Presbyteri. Similiter etiam Diaconis haberi honorem a Ministris et omnibus Clericis oportet.“ Quoad gradum inferiorem vero, Canon XVIII. Concilii Nicaeni I. sequentia exprimit: „Pervenit ad sanctam Synodum, quod in nonnullis locis ac civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod neque Canon neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi. — Diaconi intra suas mensuras permaneant, scientes, quod sint quidem Episcopi Ministri Presbyteris vero minores. Accipient autem suo ordine Eucharistiam post Presbyteros, eis praebente Episcopo, vel Presbytero. Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis sedere. Siquis autem non vult obedire, etiam a Diaconatu desistat.“

## CAPUT IX.

### DE REGULARIBUS, SEU INSTITUTO MONACHORUM.

#### § 160. Nexus cum praecedentibus.

Regularium, seu Instituti Monachorum in jure publico ecclesiastico ideo sermo fit, quia Religiosi, seu

Monachi distinctis superioribus Ordinis sui subsunt, qui in eos ordinariam ratione vitae monasticae exercent jurisdictionem.

### § 161. Origo Regularium seu Monachorum.

Evangelium Christi, hominis a Deo ad imaginem et similitudinem suam creati ultimam destinationem infinitam esse beatitatem, aeternam DEI intuitionem et fruitionem, clare docet; quam homo peccato protoparentis Adae infectus, per Christum autem Salvatorem redemptus, aut per custodiam *innocentiae* et *justitiae* originariae in Baptismo recuperatae, aut vero si quis innocentiam peccato auctuali commisso amississet, per secundum lavacrum lacrymarum, idest per veram poenitentiam et ope hujus per sanctificationem promereri potest, dicente S. Paulo Apostolo: „Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam aeternam.“ Ex his religionis Christianae principiis, atque ex metu extremi judicii et damnationis, poenarumque aeternarum, homines salutis suaे studiosi super omnia habentes animam pretioso sangvine Filii DEI redemptam salvare, abnegantes saeculi desideria, et separati a mundo, asylum in solitudine quae siverunt partim ad innocentiam baptismalem custodiendam, partim vero ad amissam per peccatum justitiam per veram et continuam poenitentiam eo securius et certius recuperandam; ideo ad eremum secesserunt, unde et Eremitae, et Monachi a solitudine vocabantur, quorum primi Paulus Thebanus, et Antonius nominantur. Saeculo IV. Pachomius socios a solitaria vita ad communem sequendam induxit, eoque permovit, ut locis quidem solitariis verum non dispersi

prout usque tunc, sed in distinctis celulis penes invicem constructis, quae Mandrae dicebantur, dein in uno aedificio sub unius superioris mandato, qui Archimandrita sive mandris praepositus, aut Hegumenus superior erat, vitam agerent; indeque dicti coenobitae, et domus in qua degebant, Coenobii nomen accepit. Coenobitarum magnus promotor erat S. Basilii, qui eos ad vicos et urbes induxit: nomen tamen Monachi illis proprium mansit, Coenobiaque illorum Monasteria dicta sunt. — Non tantum viri autem, verum et sexus muliebris hoc vitae genus jam in exordio religionis christianaæ elegit, quae Moniales vocatae, temporibus S. Athanasii frequentes fuisse constat, quas idem sanctus vir celebrabat dicendo: „Vitam Monialium argumento esse apud nos dari veram religionem.“ Ecclesia vero Monasticam vitam vel statum monasticum perfectiorem esse declaravit, utpote qui non solum praecéptis, sed etiam consiliis evangelicis sequendis occupatur. Sunt autem consilia evangelica paupertas voluntaria, castitas perpetua, et obedientia in Christo perfecta.

In Orientali Ecclesia Monachi sunt vel Antoniani, qui Antonii, vel Pachomiani, qui Pachomii, imprimis vero Basiliani, qui S. Basili regulam sequuntur.

### § 162. Institutum Monachorum per Canones ecclesiasticos regulatum.

Christiani pietate et timore Dei illustres, partim ut sibi pietatis receptacula conderent, partim in redemptionem ut credebant animarum suarum, ut continuae in Monasteriis pro ipsis praeces et Sacrificia offerantur, temporales suas facultates ad exstruenda

et dotanda Monasteria converterunt; quae Ecclesia una cum ipso Monachorum Instituto sub suam protectionem constituit, atque Canonum auctoritate firmavit.

### § 163. De aedificatione Monasteriorum.

Juxta Canonem 4. Synodi VI. Monasterium, vel oratorium domum aedicare praeter Civitatis Episcopi sententiam permissum non est. Juxta Cauonem 24 Synodi IV. et 49. Synodi VI.: Quae semel Monasteria juxta Episcopi voluntatem consecrata sunt, tamquam quoddam fundamentum infragile, perpetuo manere Monasteria statutum est; et res, quae ad ea pertinent, non alienandas servari, eaque non amplius fieri saecularia habitacula. Eos autem, qui hoc non obseruant canonice puniri, sacratos quidem depositioni subjiciendos esse, laicos vero segregationi, idest excommunicationi.

### § 164. Ingressus in Monasterium per Canones restrictus est.

Concilii Gangrensis Canon XIII. anathemate ferit illos, qui liberos suos piae exercitationis praetextu nulli curant, et in iis, quae ad religionem, reliquasque virtutes pertinent, minime erudiunt, imo neque vitae necessaria illis praebent; quasi maximi fecerint exercitationem et pietatem, et haud poterant in saeculo salutem adipisci. Dicit enim S. Paulus: „Siquis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem iste negavit, et est infideli deterior.“ Eiusdem autem Synodi Canon XIV. liberos quoque anathemate dignos

pronuntiat, quotquot exercitationis praetextu parentes suos honore non prosequuntur, neque eos in senectute alere volunt, sed inopes illos deserunt. Pietatem tamen erga Deum esse preferendam, si quando parentes infideles ad suami infidelitatem filios pertrahere conentur. Porro Canon X. ejusdem Synodi: „Siquis, ait, eorum, qui propter Dominum virginitatem servant, adversus conjugatos se extollat, anathema esto.“

Secus Canon 43. Concilii VI. concedit cuivis Christiano, etiamsi graviter deliquerit, statum monachicum ingredi, qui vitam poenitentialem nobis repraesentat; nam, velut columna quaedam poenitentiam exsterno habitu, victu, moribusque exprimit, atque nosmet ejus semper memores praestat. Neque vero aut delictorum multitudo, aut etiam magnitudo desperationem nobis creet; neque modus vivendi cuiquam obstet quominus hunc tam gratum Deo scopum attingat; dixit enim Salvator noster: „Illum qui venit ad me neutiquam ejiciam foras.“

### § 165. De aetate ingredientium Monasteria.

Canon 40. Concilii VI. praescribit: Quoniam Deo haerere per secessum ex vitae strepitu, valde est salutare, oportet nos non sine examinatione eos, qui vitam monasticam eligunt, non intempestive admittere; sed nos a Patribus traditum decretum in iis quoque servare, ut vitae secundum Deum professionem, tunc firmam et a scientia et judicio factam tunc admittamus post rationis complementum, seu aetatem completam pro ingressu in ordinem religiosum, quam aetatem necessariam, praescribere ad Ecclesiam spectat. Qui ergo monachicum jugum est subiturus, ne

sit minor quam decem annos natus, ejus quoque rei examinatione in Praesulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem et constitutionem in vita monastica. Juxta Canonem autem XIX. Synodi VII. pro pecunia quempiam ad Monasterium suscipere vetitum est.

### § 166. Tempus probationis, seu Novitiatus.

Concilium Constantinopolitanum Canone V. quoad tempus probationis statuit: ut nemo ad statum monachicum recipiatur, nisi triennale tentamen subierit, semetque dignum exhibuerit, praeterquam si gravis morbus tempus abbreviaverit; viro autem religioso, qui in mundanis agens vitam monasticam duxit, sufficient sex menses pro tentamine. Monasticum statum ingressurum autem Dioecesanus Episcopus perconteatur, num absque uxore esse possit, et palam profiteatur, ut in casum renitentiae censuram subeat. S. Basilius Can. 19.

Juxta praesentem disciplinam autem ad professionem monasticam nullus ante annum 16-tum aetatis admittitur. Ut vero professio valida sit, debet fieri ab individuo habili, professionem enim emittere nequeunt usu rationis destituti; neque licite ad professionem admitti possunt aere alieno gravati, nisi creditoribus prius satisfaciant; poenarum publicarum rei, ne poenas effugiant; Episcopi confirmati sine licentia Pontificis, vinculi enim, quod inter eos et Ecclesiam eorum intercedit, solutio Sedi Apostolicae reservata est; juncti Matrimonio consummato, nisi aut ambo claustrum ingrederentur, aut una parte ingrediente, altera continentiam voveat.

### §. 167. De Episcopo statum monasticum amplectente.

„Asceterium ingressus Episcopus ad tramites tamen sacerorum Canonum et solemnni emissâ professione postmodum amplius non gaudeat dignitate episcopali, nec prioribus fungatur functionibus, neque Primum exerceat; votum enim monasticum est obsequium descendendi non autem docendi, neque primum exercendi aut pascendi, verum pastoratum observandi. Quodsi vero quisquam Episcorum talium contrarium facere presumserit, quum ipse semet priori dignitate spoliaverit, ad priorem gradum neutiquam revertitur, cui ipso facto renunciaverat, verum permaneat in statu poenitentiae.“ (Conc. Constantinopolitanum in S. Sophia C. 2.)

Ex Monachis vero possunt promoveri ad Episcopatum, imo de praesenti in Ecclesia Graeca e Monachis fiunt Episcopi propter solemnne votum continentiae et majorem perfectionem, quae statui monachali praे saeculari adscribitur. In Dioecesibus vero graeco-catholicorum plerumque eliguntur Episcopi e Capitularibus coelibes, aut vidui, qui Religiosos regulares penes cathedrales Ecclesias repraesentant, imprimis, quod qua Senatores Episcorum in negotiis gubernationis dioecesanae versati sint, et secus quoque viri tam eruditione insignes, quam etiam probatae vitae, et in tractandis rebus publicis dexteritate pollentes ad Capitula adsummi soleant; inde Capitula Episcorum Seminaria vocantur. Posset tamen Episcopus eligi, si idoneus sit, etiam si non sit e Capitularibus.

### § 168. De Electione superioris Monasterii.

Archimandritam, aut Hegumenum in unoquoque Monasterio constituendum non quidem juxta respectum gradus monachalis aut senioratus, verum quem omnes Monachi consensu suo prudentissimum elegerint, ad observandum jugum monasticum omnemque disciplinam idoneum per dioecesanum Episcopum benedicendum, quod etiam de Abbatissa sciendum est\*).

### § 169. Praelatorum Regularium officia generalia.

Praelati Monachorum Archimandritae, et Hegumeni tenentur 1) continuo in Monasteriis residere, nec diu a suis abesse; 2) regulari disciplinae invigilare; errata suorum paterne corrigere, sancto exemplo praelucere; 3) inter suos studia bonarum artium, literarum, scientiarum, et quasvis honestas exercitaciones promovere.; 4) bona Monasterii per se et constitutos oeconomos prudenter administrare; 5) jura Monasterii sarta, tectaque servare; 6) suis de convenienti victu et vestitu studiose providere; 7) curare sedulo, ut chori, missarum, aniversariorum etcet. obligationibus fiat curate satis, et regula instituti ab omnibus servetur; 8) consilium seniorum, aliquando totius congregationis exquirere.

### § 170. Dotes Superioris Monasterii.

Dotes Superioris Monasterii, celebris cujusdam Monasterii Monachi in hunc modum depinxerunt:

\*) Vide Joannovits Jus Eccl. orthod. Neoplantae p. 128.

Optabamus veritatem et concordiam cum Archimandrita nostro habere, et misericordiam et familiaritatem, pietatem et modestiam in illo sentire; ut esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, moestorum consolator, laborantium adjutor, benevolentum auxiliator, benecertantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator; omnes fratres amaret, nullum odiret, nullum zeli aut livoris dolo persequeretur; fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio; sed hilaris facie, laetus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate, et quando aliquis ex fratribus praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannica vindicta eum excruciat, sed misericorditer disciplina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet, nec prava suspicione denuo ipsum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret\*).

### § 171. Monachi sunt jurisdictioni Episcopi subordinati.

Concilium oecumenicum IV. Canone 4., et Carthaginense Canone 81. statuit: „Monachi obtemperent suo dioecesano Episcopo, atque a Monasterio, in quo tonsuram suscepserunt, aliorum non commigrent, praeterquam si Episcopus jusserrit eos in aliorum emolummentum exire, eant.“ Porro commune Directorium pag. 578: Monacho non Presbytero, absque manuum impositione episcopali in ambone legere aut canere non licet; altare autem subintrare concessum in honorem status monachalis.

\*) Vide Schenkl Jus Eccl. Tomo I. pag. 512.

## § 172. De utilitate Instituti Religiosorum seu Monachorum.

Institutum Monachorum seu Religiosorum non est ad otiosam, sed ad laboriosam vitam, si quis vult post me venire abneget semetipsum ait Christus, tollat crucem suam et sequatur me; item, Esto fidelis (certator) usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.“ Christus ipse secessit ad montem, ut solus cum Patre coelesti in oratione transigeret, exemplum factus, quod discipuli ejus imitentur; non mirum igitur viros sublimioris perfectionis studiosos, omni tempore, inter quos et Episcopi, prout S. Augustinus et S. Martinus Turonensis, memorari moerentur, a saeculi strepitu ad solitudinem, ad asceterium monasticum configuisse, ut sine impedimento servirent Deo, sapientiam, quae in cruce Christi est meditarentur, atque per meritum assidue et indesinenter orationis juxta S. Paulum: „Sine fine orate,“ quae etiam in statui conformi vita, operibus meritorii, et sancta occupatione se manifestaret, superne illuminati ipsis Regibus et Principibus terrae sapientiae consilia darent, et sic tam Ecclesiae quam Civitati plurimum prodessent. Claustra fovebant scientias, collegerunt bibliothecas, antiquitatisque monumenta; aperuerunt scholas, agrorum, artium, et scientiarum culturam promoverunt, mitiores christianos mores propagarunt, Evangelium usque ad fines terrae praedicarunt, sanguinem pro nomine Christi profuderunt; exemplo severioris vitae, spiritu coelesti, et obedientia populis praelucentes Monachi eosdem in obsequio legum tam ecclesiasticarum quam civilium continuerunt; quae emolumenta tam Ecclesiae, quam

et societati civili hodie quoque Religiosi praestant, et praestabunt usque ad finem temporum. Et si quidam e Religiosis, vocationis suae immemores exstiterunt, eique contradixerunt, et egerunt, qui tamen proportionem Judae non faciunt, illud est demeritum singularium Monachorum personale, non vero status et Instituti Monachorum, cui nec ipsi quidem Ecclesiae Catholicae adversarii meritum et utilitatem abnegare praesummunt, quin imo etiam inviti in laudem ejus confessiones emitunt; — ex quibus liceat unum, eumque ingeniosissimum et eruditissimum sui temporis protestantem Leibnitium adferre, qui in suo Systemate Theologiae Monachorum Institutum sequentibus encomiis prosequitur: „Itaque fateor mihi, scribit ille, Religiosos ordines, piisque confraternitates ac sociates, aliaque hujusmodi laudabilia instituta, mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo remotis depravationibus et abusibus secundum instituta fundatorum regantur, et a summo Pontifice in usum universalis Ecclesiae temperentur. Quid enim praeclari, ut esse potest, quam lucem veritatis per maria, et ignes, et gladios, et ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicere sibi varias illecebras, atque ipsam jucunditatem colloquii et convictus, ut contemplationi astrusarum veritatum, ac divinae meditationi vacetur; dedicare se se educationi juventutis ad spem doctrinae ac virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis, in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre, atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae charitatis officio deterri; qui cunque haec ignorant, aut spernunt, hi nihil nisi plebeum et vulgare de virtute sapiunt, et hominum ob-

ligationem erga Deum, qualicunque obitione solemnium et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur."

## S E C T I O II.

### JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM EXTERNUM.

#### CAPUT I.

##### DE MUTUO ECCLESIAE ET CIVITATIS NEXU, ET UTRIUSQUE POTESTATIS FINIBUS GENERATIM.

##### § 173. De destinatione hominis, seu scopo creatio- nis ejus.

Homo creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, ergo ad immortalitatem et infinitam beatitatem; amisit eam per peccatum, sed facta est ipsi possibilis, seu homo capax redditus est ejus per Christum Redemptorem, qui pro hominis infinita beatitate affixus est cruci, ut hominem reconciliaret Deo, et ad primam creationis ejus conditionem reduceret. Homo ergo in hac terra peregrinatur ad patriam coelestem, ad quam per mortem intraturus est, si imaginem et similitudinem Dei, quae in sanctitate et justitia consistit, inter continuas pugnas cum inimicis salutis constanter reportata Victoria custodivit; aut amissam justitiam per cooperationem gratiae ex merito Christi infinito promanantis recuperavit. Proinde destinatio hominis in hac terra sanctificatio sui est, finis autem vita aeterna, dicente S. Paulo Apostolo in Epistola

ad Romanos Cap. VI. v. 22. „Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.“

##### § 174. Institutum Sanctificationis hominis est Ecclesia.

Jesus Christus Deus, media sanctificationis hominis ad infinitam beatitatem consequendam dispensanda, Ecclesiae a se institutae, prout Sectione I. operis hujus demonstratum est, concredit. Unde S. Augustinus (de unit. Eccl. C. 19.) inquit: „Ad ipsam salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia.“ Quo etiam in sensu S. Cyprianus (Epist. 62.) loquens de his, qui sunt extra Ecclesiam haec habet: „Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.“

##### § 175. Institutum ad securitatem hominis, ut mediis Sanctificationis sui quiete uti possit, est societas civilis.

Homo ex dispositione Dei in societatem coaluit, cuius scopus est securitas externa hominis, mutua defensio, mutuum adjutorium, ut homines imperturbate et quiete salutem suam operarentur, et destinationem suam ultimam mutuo adjutorio et aedificatione asseruerentur; ideo homo membrum est societatis civilis, et subjectus Regimini hujus societatis, cuius scopus securitas est, et temporalis felicitas.

**§ 176. Ecclesia et Civitas diversos quidem fines proximos habent, ad ultimam tamen hominis destinationem concurrunt.**

Finis Ecclesiae sanctificatio hominis ad vitam aeternam; finis autem Civitatis securitas et temporalis felicitas, quae tamen ultimae hominis destinationi et fini consequendo non obstet, sed ejusdem assecutionem adjuvet. Quod rara sapientia Augustissimus Imperator Austriae Franciscus Josephus I. his nunquam oblitterandis verbis expressit\*): „Propositum mihi est, ut subditi mei ita bonis temporalibus abundant et fruantur, ut non amittant, sed consequantur aeterna.“

**§ 177. Religio Christiana divinam constitutionem societatis et Imperii Civilis constabilivit.**

Jesus Christus generis humani Salvator societati et Imperio civili divinam sanctionem dedit doctrina et exemplo. Math. C. 22. v. 21. „Date, quae sunt Caesaris Caesari.“ — Ipse divinus magister exemplum factus, se omnibus legibus civilibus subjicit, eas observavit, tributum solvit, ac Pilato potestatem in se desuper datam esse Joannis Cap. XIX. v. 11. confessus est. Apostoli divini Magistri Jesu doctrinae inconsistentes, Imperium civile ad praestandam temporalis vitae securitatem a Deo constitutum esse, Imperantem Dei Ministrum, et qui debitam obedientiam Magistris non praestant, Deo resistere docuerunt. S. Paulus in Epistola ad Romanos Cap. XIII. v. 1. docet: „Omnis

\*<sup>o</sup>) Responsum Collegio Episcoporum ad finem Conferendarum Viennae 1856. habitarum.

anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. V. 2.: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt. V. 3. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex illo. V. 4. Dei enim Minister est tibi in bonum, si autem malum feceris; time; non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram illi, qui facit malum. V. 5. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. V. 6.: Ideo enim et tributa praestatis, Ministri enim Dei sunt in hoc Ipsum servientes. V. 7. et 8.: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum legem implevit. Quam dilectionem in Epistola 1-a ad Corinthios Cap. XIII. a versu 4. sic describit: Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniuitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.“ Quam doctrinam si omnes cives observarent, vere felicitatem quoque terrestrem conquererentur; adeoque tanto perfectior est status societatis civilis, quo magis ejus membra Christianam doctrinam et praecepta observant; eo feliores subditi et Imperantes: horum enim sollicitudo minor, subditi autem a communibus calamitatibus, quas renitentes et malitiosi cives procurant, propter

quos etiam tributa majora sunt, liberantur. Apertus autem est omnibus liber Sacrarum Scripturarum, ex quo omnes cives divinam vitae terrestris, ut felices sint, sapientiam haurire possunt. Audiant S. Paulum ad Titum C. III. v. 1. scribebentem: „Admone illos Principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus datum paratos esse.“ Sanctus Petrus quoque Apostolorum Princeps eandem doctrinam tradit in sua Epistola I. Cap. II. v. 13. et sequentibus dicens: „Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem voro bonorum, quia sic est voluntas Dei.“ S. Paulus, orationes pro Regibus et Magistratibus fieri praecipit: 1-o ad Timoth. Cap. II. v. 1—3 scribens: „Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrations, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.“ Idem Apostolus, in Epistola ad Hebreos, Cap. XIII. v. 17.: „Obedite Praepositis vestris et subjacete illis. Ipsi enim per vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis.“ Unde patet subjectionem et obedientiam Principibus absolutum officium esse illudque religiosum officium cuiuslibet hominis, quia mandatum Dei omnem creaturam obligat, inobedientia vero, et resistantia Principibus et omnibus superioribus peccatum est, quod conscientiam ipsam coram Deo afficit. Nisi quid praecipiatur quod Religioni adversum esset, tunc enim Deo magis obediendum est quam hominibus.

**§ 178. Ecclesia et Civitas relate ad proprium finem est potestas distincta, per se subsistens, atque summa.**

Sicut Sanctificatio hominis ab externa securitate et felicitate terrestri discrepat, ita Ecclesia et Civitas diversae sunt societas, ad distinctos fines per propria culibet media assequendos, per ipsum Deum institutae. Hinc quaelibet potestas in sua sphæra est summa, sive ab alia independens; unde corollarium: nec Civitas in Ecclesia, nec Ecclesia est in Civitate, quamvis eadem membra essent Ecclesiae et Civitatis communia. Ergo Rectores Civitatis qua membra Ecclesiae considerati individualiter subsunt potestati ecclesiasticae relate ad sanctificationem suam et officia religionis subjectiva. Sed et Rectores Ecclesiae qua membra Civitatis, relate ad obligationes suas civiles, potestati civili subsunt; „omnis anima, inquit S. Paulus Apostolus, potestatibus sublimioribus subdita sit.“

**§ 179. Deus Ecclesiam, et Civitatem ita instituit, ut una aliam in assequendo proprio fine adjuvet.**

Ecclesia qua Institutum ad sanctificationem hominum, quae docet, etiam obligationes civiles propter conscientiam adimplendas esse, et neglectum earum inficere animam, potentissime adjuvat consecrationem finis Civitatis; sed non secus et Civitas, in quantum abusus libertatis hominis propter proprium finem suum, sive securitatem coerget, simul etiam Ecclesiae finem adjuvat: et quoniam Civitas ipsa conscientia est sanctionem ultimam consistentiae suae a religione

habere, Civitas, nisi proprio fine frustrari velit; necessario respectum religionis et regiminis ecclesiastici, per idoneas, religiosam convictionem et officia religiosa suorum subditorum respectantes leges, et per debitam Ecclesiae praestandam assistentiam sustentare non tantum debet, verum etiam adimpletionem officiorum religionis fovere; cum alioquin homines eo scopo ex ordinatione Dei in societatem coaluerint, ut non modo non impedianter in consequenda sua ultima destinatione, sed potius, ut ipsa societas civilis, proxime quidem securitatem et terrestrem felicitatem curet, ultimo tamen ipsa etiam Civitas ad eandem ultimam humanitatis destinationem et finem contendat; ideoque, cum tam Ecclesiae sanctum sit quod Civitas intendit, quam Civitati summum bonum sit quod Ecclesia operatur, necessario inter Ecclesiam et Civitatem tam amicum foedus obtinet, quemadmodum inter animam et corpus intimus nexus existit pro eodem fine, idest, plena felicitate totius hominis consequenda.

### § 180. Limites utriusque sacrae et civilis Potestatis.

Potestas Ecclesiae ad sacra, Civitatis vero ad temporalia restricta est; et quemadmodum Princeps non potest cum suis Consiliaris dogmata religionis definire, aut sacramentorum digne conferendorum conditiones praescribere; ita potestas ecclesiastica non potest leges mere civiles in regnis ac provinciis seculari imperio subjectis determinare; generatimque legislationem utriusque societatis ecclesiasticae et Civilis finis utriusque proprius determinat, ad quem consequendum utriusque societati plena competit activitas,

ultra quam excedere neutri licet, nisi quod Ecclesia jus exigendi habeat, ne potestas civilis in persecundo suo scopo seu fine societatis civilis religionem et conscientiam suorum subditorum quavis ratione offendat. Quia autem idem homo membrum est et Ecclesiae, et Civitatis, actiones eorumdem utriusque societati communium subjectorum utramque societatem quoad effectum concernunt, ad collisionem inter utramque potestatem evitandam, Canonistae certas regulas limites potestatis ecclesiasticae et civilis determinantes statuunt, et quidem: 1) de actibus hominum ecclesiasticis, quantum sunt membra Ecclesiae, ad salutem suam et sanctificationem operandam, sola ecclesiastica potestas disponere potest, atque jure gaudet subjectos sibi fideles ad eosdem actus ponendos, et generatim ad legum ecclesiasticarum observantiam non tantum persuadendi, sed etiam sibi propriis mediis cogendi, prout discimus ex Bulla Pii VI. „Auctorem fidei“ V. Kal. sept. 1794. Nr. IV.: „Propositio affirmans: Abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae et morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis;“ — quatenus in determinatis illis verbis extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: Haeretica“ num V.: „Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem suis decretis subjectionem exigendi aliter quam per media quae pendent a persuasione, — quatenus intendat, Ecclesiam „non habere collatam

sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et svasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi.“ Inducens in Systema alias damnatum ut haereticum \*). 2) de actibus pure civilibus disponit auctoritas civilis, quae mediis coactivis sibi propriis, ea, quae fini civitatis congrua iudicat, in effectum dedit. 3) De actibus mixtis, quorum effectus ecclesiastici a civilibus separabiles sunt, quoad effectus ecclesiasticos Ecclesia, quoad civiles autem Civitas disponit; sic in Matrimonio quoad vinculum inter conjuges Ecclesia, quoad jura autem civilia conjugum et successionem ac hereditatem prolium, civitas disponit. 4) Relate ad actus mixtos, quorum effectus ecclesiastici a civilibus inseparabiles sunt, distingendum est, an de objecto essentiali finem Ecclesiae respiciente, aut vero de accidentaliter sermo sit; sique est objectum, circa quod actio ponitur, esse entiale, de quo Ecclesia iudicat, Ecclesia disponit, cum illud commodum civitatis impedire non possit: si vero de accidentaliter objecto quaestio fiat, Ecclesia quidem disponit, ita tamen, ne talia constituant aut ordinent, quae Imperans civilis, ad quem spectat de hac re iudicium ferre, velut nociva civitati censem. 5) Actus illi pure ecclesiastici, qui ad finem civitatis mediate solum influunt, non obstante hoc influxu, dispositioni potestatis ecclesiasticae subjiciuntur, et Imperans civilis de similibus objectis cum iudicio Ecclesiae, iuribus potestatis ecclesiasticae conformiter disponit. Etenim actus tales ex supposito unice in tantum ci-

\*) Ex Bened. XIV. in brevi „ad Assiduas“ anni 1755. Primi Archi et Episcopis Poloniae.

vitatis finem adjuvare possunt, in quantum Ecclesiae finem promovent. Non secus autem 6) de actibus pure civilibus illis, qui promovendo bonum civitatis mediate finem etiam Ecclesiae adjuvant, solius Imperantis civilis est disponere, quia ad hunc solum spectat iudicare quidnam fini Civitatis conveniat, Specialiter autem limites utriusque potestatis ad evitandas collisiones positivis etiam legibus et conventionibus inter utramque potestatem ecclesiasticam nempe et civilem ad concordiam initis, unde tales conventiones etiam Concordata vocantur, determinari solent. Pro Imperio Austriaco vide Concordatum 1855. initum.

## CAPUT II.

### DE RELATIONE IMPERANTIS CIVILIS AD ECCLESIAM.

#### § 181. Obligatio Imperantis quoad doctrinam, et disciplinam Ecclesiae.

Quemadmodum Ecclesia potestati civili adsistit religiosum obsequium legibus civilibus, et potestati civili a suis fidelibus exigendo, ita Princeps aut potestas civilis Ecclesiae adsistere debet; hinc obligatio ejus est 1) ut Rectoribus Ecclesiae in eriuncianda Ecclesiae doctrina et legibus ecclesiasticis eidem doctrinae conformibus ferendis libertatem et auctoritatem sartam tectamque servet; 2) ut definitiones et decreta eorum tum exemplo suo, tum legum civilium efficacia sustentet; 3) ut Doctores religionis ad rite fungendum suo officio mediis sibi propriis urgeat; 4) ut doctrinam Catholicae religioni et Ecclesiae decretis contra-

riam pro Catholicis doceri prohibeat; 5) ut libros verae religioni proinde etiam statui perniciosos prescribat et exterminet; 6) ut religionis oppugnatores, aut legum ecclesiasticarum contemptores compescat; 7) ut dissidia circa religionem exorta collatis cum ecclesiastica potestate consiliis etiam sua auctoritate cohibeat; 8) ut ad manutenendam disciplinam ecclesiasticam et effectum legibus et judiciis ecclesiasticis procurandum petita civilis assistentia tribuatur.

### S 182. De obligationibus Principum Catholicorum quoad tolerantiam Acatholicorum in suis statibus.

Quamvis vera religio unica tantum esse possit, unaque Ecclesia a Christo fundata, extra quam nemini salus esse possit, et vix firma esse quaeant pacis jura inter quos est fidei bellum<sup>1)</sup>), unde utroque jure cautum sit, ne Catholici Principes haereticos aliosque a catholica veritate alienos, et multo minus eorum ritus ac sectae exercitium tolerare permittant<sup>2)</sup>; attamen contingere potest aliquando ut ad evitandum majus malum ac procurandum majus religionis bonum Princeps, seu Imperator catholicus acatholicas confessiones in sua ditione tolerare possit. Qno quidem casu omni cura adlaborandum est, ne haereticorum errores latius diffundantur, neque fideles catholici ex eorum societate detimenti aliquid accipient, vel reipublicae pax perturbetur.

<sup>1)</sup> S. Ambr. 3. de Offic.

<sup>2)</sup> C. Excommunic. 13. § moneantur de haeretic. C. ad abolendam 9. § statuimus. C. at Offic. 11. § statuimus in 6. Consul. Reiffenstuel lib. V. Docret. tit. VII. de haereticis.

### S 183. Speciatim de Tolerantia Judaeorum.

Pro tolerantia Judaeorum passim sequentia motiva adferuntur: 1) quod ab iis perversionis Christianorum teste experientia exiguum periculum immineat; 2) quod Judaei pro libris Veteris Testamenti sint testes, et quasi Christianorum bibliothecarii, et ideo saltem Christianae Religioni utiles; 2) quod gens haec absque propria patria inter omnes populos terrae dispersa, vaticinium Christi in fronte circumferat, quo vaticinii Christi vivo complemento Christiani in sua fide confirmantur. Ceterum quibus cautionibus Principes catholici licite tolerare valeant in suis territoriis Judaeos, utriusque juris probati auctores SS. Patrum auctoritate rationibusque ostendunt titulo „de Judaeis.“

### S 184. De Concordia utriusque potestatis ecclesiasticae ac civilis.

Etsi duabus potestatibus, ecclesiasticae nimirum et civili, quas societati humanae praeesse dictum est, certi denique sint fines, quibus utriusque jurisdictio definitur, quique ut tranquilla sint omnia, observandi et custodiendi sunt diligentissime, nihilominus cum utraque potestas eundem hominem regat, eoque spectet, ut ipse nedum in hac vita sit felix, sed praesertim in illa immutabili animorum beatitudine, facile quisque intelliget et quae bona futura ex concordia utriusque potestatis proveniant, et quae pariter mala timenda sint, si quando inter se discordant ac dissociantur. Praeclare S. Ivo (Epist. 233. ad Pasch. II.)

Cum regnum et sacerdotium, inquit, inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. — Quod et experti sumus hac nostra aetate; etenim apostolicis curis sanctissimi Pontificis Pii IX., atque insigni religione Regis Apostolici Francisci Josephi I. Imperatoris Austriae inita anno 1855. celebri conventione, omnia tandem utriusque potestatis jura svaviter feliciterque composita fuere. Quoniam vero quandoque accidit, ut aliquae leges civiles aut juri divino, aut sacris Canonibus ac proinde catholicorum conscientiae adversentur, ideo ecclesiastica potestas ac imprimis Romani Pontifices, quibus incumbit universalis Ecclesiae jura tueri, pro illarum legum mutatione vel mitigatione operam studiumque impendunt. Praeclara exhibit historia ecclesiastica hac super re exempla. Sic S. Gregorius Magnus Pontifex in Epistola ad Imperatorem Mauritium, et Theodosium ejus filium conqueritur contra latam legem conscientiae et juribus Christianorum adversam scribens: „Coram Deo culpa vacuus non erit, qui Principi veritatem quocunque praetextu celaverit. — Cohibere me non possum quo minus ad Principes loquar; dum istam legem\*), Deo contrariam cerno. Data est vobis a coelo potestas in omnes homines, ut eos, qui boni esse cupiunt adjuvetis, et sic regnum terrenum ad regnum coelorum viam paret. Per Judicem terribilem obtestor te latam legem hanc mutes, vel mitiges.“

\*) Nempe quae anno 592. data, in militiam conscriptos a monastico instituto arcet.

### CAPUT III.

#### DE LIMITIBUS POTESTATIS ECCLESIASTICAE AC CIVILIS CIRCA PERSONAS ECCLESIASTICAS.

##### § 185. Personae ecclesiasticae, jurisdictioni ecclesiasticae, et civili subsunt.

Personae ecclesiasticae sunt Ministri Ecclesiae, una vero sunt etiam cives. Qua Ministri Ecclesiae relate ad ministerium spirituale, functiones sacrorum ordinum, cultum divinum et occupationes circa animalium curam, atque generatim disciplinam clericalem jurisdictioni ecclesiasticae: in quantum vero membra sunt status civilis seu cives, jurisdictioni civili subsunt, ita tamen ut eorumdem auctoritas, status clericalis honor, et privilegia salva sint.

##### § 186. Jurisdictio Ecclesiae in personas ecclesiasticas.

Ecclesia propria gaudet jurisdictione in sacrorum Ministros quoad munus eorum ecclesiasticum, ideo 1) eos ad Ministerium sacrum ordinat, 2) eorum functiones determinat, 3) eosdem in officiis suis per Canones dirigit, 4) iis intendit, eos judicat, corrigit et punit\*).

Historia quidem ecclesiastica exhibit exempla, quod Clerici, imo Episcopi quoque ab illegalibus Synodis injuriam passi ad protectionem Imperatorum configuerint, ita S. Chrysostomus in Synodo illegitima ad Quercum damnatus, ad Arcadium Imperatorem,

\*) Concord. Austr. Artic. XI.

S. Athanasius in Synodo pariter illegitima Tyria inuste damnatus, ad Constantinum Imperatorem etcet. Verum similia exempla contra jurisdictionem Ecclesiae in personas ecclesiasticas perperam adferuntur, aliud est enim personalem securitatem contra violentiam petere ab Imperatore, et aliud causam ecclesiasticam judicio Imperatoris submittere, quod in adductis exemplis factum non est. Et re quidem vera, si quando Episcopi, etiam sanctissimi inuste a Synodis particularibus atque illegitimis fuerunt damnati, non ad Imperatores, sed apud apostolicam sedem et ad Romanum Pontificem appellationem interponere curarent, prout luculentissima historiae documenta testantur. Etenim Athanasii causa ad Julium Romanum Pontificem delata fuit ac definita, quemadmodum Socrates et Sozomenus testantur<sup>1)</sup>, atque ex epistolis ejusdem Pontificis apertissime eruitur. Ad causam vero Chrysostomi quod attinet, norunt eruditii omnes, quemadmodum S. Doctor ad Innocentium I. summum Pontificem provocaverit, prout memorant epistolae Honorii Imperatoris ad Arcadium<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Porro Anastasius... et Paulus in urbem regiam adveniunt, ubi cum Julio Romanae urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, quae est Romanae Ecclesiae praerogativa, liberioribus literis communitos in Orientem remisit, singulis sedes suas restituens. Socrat. histor. Ecclesiast. lib. 1. C. 13.

Athanasius Romam venit. Episcopus igitur Romanus cum singulorum causas cognovisset, in communionem recepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique sedem restituit. Sozom. his Eccles. lib. 3. Cap. 8.

<sup>2)</sup> Idipsum testatur Gelasius Romanus Pontifex ad Episcopos Dardaniae (apud Laubbacum t. 5. Conc. Coll. §29.)

### § 187. Personae ecclesiasticae qua Cives civili subsunt Imperio.

Personae ecclesiasticae qua membra societatis civilis, seu qua cives, relate ad actiones et negotia profana civili imperio et jurisdictioni subsunt; hinc 1) Leges civiles pro tota civitate latae Clericos etiam salva eorum dignitate et ordine obligant, salvis insuper eorum privilegiis ad normam sacrorum Canonum et initae conventionis. S. Paulus enim neminem excipit, dum in Epistola ad Romanos Cap. XIII. ait;

„Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo.“ (Vide Concordat. Austr. Art. XIII.) 2) In causis delictorum et criminum etiam per Judicem civilem judicari possunt, nisi speciali Principis privilegio exempti essent. (Art. XIV. Concord.

### § 188. Personis attamen ecclesiasticis salva esse debent sua privilegia et immunitates.

Etiamsi Religio Christiana neminem ab obsequio legis et potestatis civilis a Deo institutae eximat, quin potius a Clericis Dei Ministris religiosi obsequii legibus civilibus praestandi exemplum exspectetur; nihilominus tamen Principes Christiani e pietate in Deum ejusque Ministros sacerdotes in terris, atque ob summum emolumentum, quod Religio, cuius administrari personae Deo sacrae sunt, ipsi civili societati praestant, nullo non aevo in contestationem suae, de viva

Facundus Episcopus Hermianensis (inter opera varia Scribendi t. 2.) Palladius (de vita S. Joannis Chrysostomi.)

fide Christiana profectae erga Clerum venerationis et gratitudinis, peculiaribus immunitatibus, exemptionibus, et privilegiis eundem condecorarunt, firmiter persvasi, has Cleri exemptiones et privilegia in maiorem coram populo religionis et Cleri respectum, per quod ipsorum etiam Magistratum honor et veneratio promoveretur, in emolumentum, decus, atque salutem ipsius civitatis cedere; ideo ab initio Religionis usque in praesens tempus apud ipsas barbaras gentes quoque exemptum sacrificiorum ordinem in summa veneratione habitum invenimus, servo enim et Ministro tribuitur honor propter Dominum suum, et quo major Dominus, eo major honor tribuitur et Ministro ejus; maximus honor tribuitur Imperatori, quia non ab homine constitutus, sed unctus et Minister Dei est, sed et sacerdotibus suus honor debetur, quia et hi Ministri Dei sunt. Hanc sui ipsius aestimationem in Sacerdotibus conservare Ecclesiae perinde ac Civitatis plurimum interest, despectum enim Sacerdotium vilesset, et despectus Sacerdotii irreligionem populi demonstrat. Super quo jam gentiles Sacrificuli ingemuerunt dicentes:

Quid coluisse mihi tua Numa Delphice prodest?  
Aut castam vitam multos duxisse per annos?  
Quidve juvat Sacros posuisse altaribus ignes?  
Si tuus interno jam spernor ab hoste Sacerdos.

Non mirum ergo, quod Principes Christiani prae-eunte Magno Constantino primo Christiano Imperatore, qui exemplum et successoribus omnibus Principibus Christianis factus est, qui tanta erga Clerum veneratione ferebatur, tamque honoris Cleri studio animabatur, ut paratum se declaraverit, ad obtegendum pallio suo imperatorio delinquentem Sacerdotem, ne fra-

gilitas ejus in dedecus Sacri ordinis propalaretur; quo majori in Deum pietate affecti erant, eo magis et Sacerdotii honori et decori per immunitates et privilegia prospexerunt. Exemplo sit piissimus Imperator Austriae, cuius Concordatum cum S. Sede Apostolica initum, perpetuum est monumentum tributi Sacerdotio honoris et immunitatis Ecclesiae. Articulo XVI. Concordati vult Apostolicus Rex et Imperator, ut sacris Ministris juxta divina mandata debitus honor servetur, et omnes Imperii sui Magistratus eundem praestent. Articulo autem XIV. decrevit, ut in judicandis Sacerdotibus ii adhibeantur modi, quos reverentia status clericalis exigit, quod si per Ecclesiam degradati, iuribus clericalibus exuti atque judici saeculari traditi carceribus mancipandi essent, etiam tunc in locis a saecularibus separatis poenam subeant; imo pro circumstantiis talium ad claustralem etiam poenam relegatio adpromissa est. Articulo autem XV. Concordati statuit piissimus Imperator: „ut honoretur domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, sacerorum Templorum immunitas servetur, in quantum id publica securitas et justitia admittit.“ Sed habet Clerus in Imperio Austriaco etiam privilegium competentiae, vi cuius Clerici aere alieno gravati congrua ad ejus sustentationem assignata executioni judiciali subesse nequit. Immunis insuper est Clerus etiam ab oneribus publicis, et recipiendis in aedibus ecclesiasticis militibus \*).

\*) Decretum Augustissimi Imperatoris Francisci Josephi I. sub Conferentia Episcoporum 1856. editum.

## CAPUT IV.

### DE LIMITIBUS POTESTATIS ECCLESIASTICAE ET CIVILIS QUOAD BONA ECCLESIASTICA.

#### § 189. Ecclesia habet jus a Civitate convenientem sustentationem exigendi.

Auctor religionis et Ecclesiae Jesus Christus Deus, et Apostoli ejus, quemadmodum obligationem imposuit sacris Ministris fideles, qui membra civitatis sunt sanctificationis mediis providendi, atque a cunis usque sepulcrum ad vitam aeternam, ultimam hominis destinationem dirigendi atque ducendi, ac ad felicem ex hac terrestri vita exitum praeparandi, ita sustentationem Ecclesiae, cultus divini, et Ministrorum ejus per fideles praestari praecepit. Mathaei Cap. 10. v. 1. prohibuit discipulis pro via alimenta secum ferre, invians ipsos ad fideles a quibus sustentandi essent dicens: „Dignus est operarius mercede sua.“ Similiter Lucae Cap. 10. v. 7. dixit praedicaturis Discipulis: „In eadem autem domo manete edentes et bibentes quae apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua“ et v. 8. „Manducate quae apposuerint vobis.“ S. Paulus Apostolus autem 1-ae ad Corinthios Cap. IX. v. 11.: „Si nos inquit, vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus“ et v. 13.: „Ne scitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, de altari participant, ita et Dominus ordinavit illis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.“ Juxta Actuum autem Apostolorum Cap. V.

Apostoli collectas a fidelibus collegerunt, et oblationes acceptarunt. Hinc Christiani ab origine Christianae religionis nullo non tempore ex praecepto Dei de sustentatione Ecclesiae, cultus divini, et sacrorum Ministrorum providerunt; divites Principes et optimates bona et latifundia Ecclesiis et earum Ministris donarunt, imo ipsi status Christiani Ecclesiam large dotarunt. Constantinus autem Magnus primus Imperator Christianus facultatem dedit unicuique subditorum, mortis causa, partem bonorum suorum quam voluerit Ecclesiis harumque Ministris jure perpetuo legandi et cedendi, cuius exemplum subsequi etiam Principes Christiani seuti sunt.

#### § 190. Ecclesia Bonorum suorum Domina.

Bona Ecclesiae sunt bona Dei, Deo oblata, ab Ecclesia inalienabilia, quod jam in veteri Foedere observatum est Libro Levitici C. 27. v. 28.: „Omne quod Domino consecratur, sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit.“ Sed in=alienabilia sunt bona ecclesiastica etiam de jure positivo civili, Ecclesia enim persona moralis sub praesidium legum constituta est, sicut quilibet in societate civili, Ecclesia, bona sua legaliter acquisivit et quidem jure proprietatis, sicut quilibet civis; consequenter Ecclesia possessione sua legaliter privari nequit. Concordatum Austriacum hanc proprietatem Ecclesiae relate ad bona sua agnoscit Articulo XXIX. his verbis: „Ecclesia jure suo pollebit novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones, ejusque proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit.“

### § 191. De immunitate ecclesiastica reali, seu quoad bona ecclesiastica.

Exemtio, seu immunitas ecclesiastica, ut norunt omnes, alia est personalis, localis altera, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta<sup>1)</sup>; tertia demum realis, quo nomine bona ecclesiastica indicantur. De prima et secunda praemissum est, restat nunc de exemptione reali quae necessaria sunt proponere. Bona ecclesiastica, quae vel Deo consecrata ad divinum cultum impenduntur, vel in sacris alendis ministris pauperibusque sustentandis, immunitate seu exemptione, ut omnibus compertum est, perfruuntur. Quamvis autem ad Ecclesiam pertinere rectissime dicitur quod ipsa eorum habeat administrationem, tamen cum ad cultum Deo exhibendum referantur, eique consecrata dicantur, et revera sint, merito bona Dei appellantur<sup>2)</sup>. Quapropter etiam jure positivo, canonico scilicet ac civili ab oneribus immunia passim declarantur<sup>3)</sup>. Ast non raro in humanis accidit, ut Principes Catholici vel aliqua necessitate praessi, vel pro communi eoque urgentissimo Reipublicae bono cogantur etiam ab Ecclesiis atque a Clericis dona vel etiam tributa accipere, quo quidem casu consensum a Romano Pontifice expetere debent, prout et

<sup>1)</sup> Concil. Trid. Sess. 25. Cap. 20. de reform.

<sup>2)</sup> Idem Sess. 25. Cap. 1.

<sup>3)</sup> Cap. Quamquam. 4. de censib. in 6. Cap. Non minus 4. de Immun. Eccl. Cap. Adversus 7. de Immun. Eccles. Authent. Item nulla Communitas Cod. de Eppis et Clericis.

NB. Plurimi Doctores defendunt quod immunitas realis sit ex jure divino.

fecisse ex historia constat. Unde Baronius (ad annum 387.) „Catholici Principes inquit, si quando necessitate ingruentium bellorum pressi indigerint accipere ab Ecclesia, id, perquam submisso animo a Romano Pontifice expetere consvererunt, et ab illo paternae caritatis affectu pro facultate praestari, cuius rei innumera sunt exempla.“ — Ceterum hac in re standum conventionibus cum Apostolica Sede initis.

### § 192. De secularisatione bonorum ecclesiasticorum.

Bona ecclesiastica prout liquet ex dictis immunitate seu exemptione gaudent; in casu tamen publicae extremae necessitatis, id est, ut alia subsidia necessitatis publicae sublevandae non sint; servatoque recto ordine, id est ut necessaria, religionis, necessariis Civitatis praferantur; et debitibus sub conditionibus, id est, cum interventu auctoritatis ecclesiasticae imprimis summi Pontificis secularisari, id est in alias profanos fines converti posse consentiunt Canonistae.

### § 193. De limitibus ecclesiasticae et civilis potestatis relate ad institutionem publicam et educationem.

Tam Ecclesiae quam Civitati jus est subjecta sibi adsociata correspondenter scopo suo educandi et informandi, utriusque ergo societati ecclesiasticae et civili erectio, et directio proprietum institutionis, et educationis Institutorum jure competit. Quoad Scholas autem, et Instituta educationis utriusque societati communia, utriusque, relate ad proprium finem influxus tribuendus est. Concordatum Austriacum hac de re Articulo V. statuit: „Omnis juventutis Catholicae insti-

tutio, in cunctis Scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae religionis Catholicae: Episcopi autem ex proprii officii pastoralis munere, dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis, atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni, morumque honestati aduersetur.“ Et Articulo VI.: „Nemo sacram Theologiam, disciplinam catecheticaam, vel Religionis doctrinam in quoconque instituto vel publico vel private tradet, nisi cum missionem, tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano; cūjus eandem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae Professores, et disciplinae catecheticae Magistri postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia, ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem Theologicae facultatis Professorum quidam, ab Episcopo, ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi Professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum Theologiae, vel Canontum Doctoris adspirant, dimidiā partem examinantium Professorum Episcopus dioecesanus ex Doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.“ Articulus VII.: „In Gymnasiis et omnibus quas medias vocant Scholis pro juventute Catholica destinatis, nonnisi viri catholici, in Professores seu Magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam, pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam

libri in iisdem Scholis, ad religiosam tradendam institutionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De Religionis Magistris pro publicis Gymnasiis, mediisque Scholis deputandis, firma manebunt, quaē hac de re salubriter constituta sunt. Articulus VIII.: Omnes Scholarum elementarium pro Catholicis destinatarum Magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit. In Ludimagistrum astimandi fides, et conversatio intemerata sit op̄ertet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

## CAPUT V.

### DE RELATIONE ECCLESIAE CATHOLICAE AD ALIENAS CONFESSIONES.

#### §. 194. Ecclesia non tolerat contrarias doctrinas.

Ecclesia Magistra veritatis non potest indiferens esse, num aliquis genuinam et integrā Christi doctrinam amplectatur, aut eandem ignoret ac repudiet. S. Paulus in Epistola ad Galatas Cap. I v. 8. inquit: „Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangeliset vobis, praeterquam quod evangelisavimus vobis, anathema sit.“ Canones orientales, in specie Concilii Carthaginensis Canon 121. et 123. Episcopis injungunt conversionem haereticorum sub poena depositio- nis, excepto, si semet excuset, ea solum de causa se continuisse, ne ad majorem renitentiam haeretici excitarentur, spe futurun, ut mansuetudine et patientia potius reduci possint.

**§ 195. Medium propagandi Religionem est sola Institutio.**

Christus Auctor religionis sola praedicatione voluit suam religionem propagari, non vero obtrusione, eo minus autem quacunque violentia. „Euntes, inquit Christus discipulis suis, docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae. Intrantes in civitatem dicite: pax huic domui, si vos non receperint, excutientes pulverem de pedibus vestris ite in aliam“ S. Gregorius M. Libro II. Epistola 52. ad Joannem Hierosolymitanum dicebat: „Nova et inaudita est ista praedicatio, quae coactione vel verberibus exigit fidem.“ Pariter fraus et dolus, assentatio, corruptio, aut similes pravae artes sunt inepta media imputrandi sincerum intellectus, animique consensum veritati praestandum, nihilque aliud producunt quam hypocrisim, et simulatam fidem, quae legi morali contraria, finique Ecclesiae prorsus adversa est\*).

**§ 196. Catholici tamen obligantur dilectionis Officia erga aliarum Confessionum assecelas adimplere.**

Aliud praedicationis genus ad lucrando eos, qui a fide nostra alieni sunt, est charitatis christiana erga omnes homines ut proximos contestatio; ubi enim charitas abundat, ibi et vera fides est. Sane innumerabilia exempla in historia prostant conversionum per opera charitatis perfectarum, quibus alienos a fide nostra nobis addictos reddimus, sicutque obtenta eorum benevolentia ipsa praedicatio verbalis facilius

in eorum corda penetrat. Ipse Salvator Jesus Christus quibus praedicavit miraculose benefecit, saturavit multitudinem in deserto, dein praedicavit eis: „quaeritis me ait, quia saturati estis, alium panem dabo vobis.“ Imprimis autem discretio in dijudicandis a fide vera alienis necessaria est; namque nativitas et prejudicia, quibus non omnes se expedire sciunt, causa saepe sunt, quod in errore haereant, parati condemnare id quod tenent, modo essent de ejus falsitate convicti. Apud nos haeretici sunt, apud se non sunt; nam in tantum orthodoxos se esse judicant, ut nos ipso titulo haereticae appellationis infamenti. Instruendi itaque sunt omni patientia et doctrina, omniisque caritatis studio prosequendi, ut tandem cognita cum Dei adjutorio veritate, ad veram Ecclesiam redire ac per eam aeternam beatitudinem nobiscum consequi valeant.

\* ) Vide Cherier Jus Eccl. pag. 3. et 62. Tom. 1.

## PARS II.

### JUS PRIVATUM ECCLESIASTICUM.\*)

#### S E C T I O I.

##### DE PERSONIS, ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

#### C A P U T I.

##### DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

###### § 1. Notio Personae ecclesiasticae.

Persona ecclesiastica est Clericus, qui per tonsuram clericalem sacris Ordinibus praemitti solitam ad Ministerium sacrum initiatur. Clericatus proinde statum ecclesiasticum constituit.

###### § 2. Requisitae ad statum ecclesiasticum dotes.

Ad statum ecclesiasticum requiritur specialis vocatio, sive peculiares dotes statui huic correspondentes, quas si quis non possideat, Clericus esse nequit. Necessitatem vocationis ad statum ecclesiasticum S. Paulus in Epistola ad Hebraeos C. 5. v. 4. exponit verbis: „Nec quisquam sumit sibi hunc honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.“ Quam vocationem ut explorare possit Episcopus in candidatis ad Clerum, praecipit S. Paulus in Epistola ad Timoth. 1.

\*) Vide Part. I. § 25. pag. 48.

Cap. V. v. 22.: „Manus cito nemini imposueris“: et Cap. III. v. 10. de Diaconis inquit: „Probentur primum, dein ministrent, nullum crimen habentes.“

###### § 3. De Irregularitate.

Irregularitas est impedimentum canonicum personale, quod prohibet Ordines suscipere, vel susceptos exercere. Distingvitur irregularitas ab incapacitate suscipiendi Ordines ex defectu Baptismi et sexus masculini, ob quos defectus valide conferri Ordines non possunt. Irregularitas autem, ob quam prohibetur quis ab Ordinum susceptione, vel susceptorum exercitio, est alia quae oritur ex defectu, alia ex delicto.

###### § 4. Irregularitas ex defectu.

Ex defectu irregulares habentur ex Graecae Ecclesiae Canonibus: 1) Qui aetatem praescriptam non habent<sup>1)</sup> et quidem 20 annos pro Subdiaconatu, 25 annos pro Diaconatu, 30 annos pro Presbyteratu, et 50 annos pro Episcopatu, nisi necessitas exceptioni locum det. Juxta hodiernam proxim ad Subdiaconatum aetas 22-rum, ad Diaconatum 23, ad Presbyteratum 25, et Episcopatum 30 annorum exigitur. 2) Qui necessaria destituuntur scientia theologica et rituali, 3) Qui ex legitimo non sint Matrimonio. 4) Servi, 5) Bigami; sive bigamia sit vera, ut in eo, qui duas successivē duxit uxores; sive interpretativa, quae in eo est, qui duxit unicam, sed viduam, aut quocunque modo ab alio vitiatam<sup>2)</sup>; aut cum quis

<sup>1)</sup> Con. XIV. et XV. Conc. Trull., Conc. Neoc. C. XL.

<sup>2)</sup> Can. VIII. Neoces.

virginem quidem duxit, sed post matrimonium adultera evasit, si post adulterium maritus vel semel cognovit; si vero non cognovit, nulla irregularitas ex adulterio uxoris consequitur. 6) Qui publicis ratione obligati sunt, hoc est, Calculatores, hypothecis publicis, thesaurisque praepositi; addicti Curiae jure jurando stipendioque, uti Judices, Advocati, Fiscales, et qui in matriculas militum relati sunt<sup>1)</sup>. 7) Qui vitium habet corporis<sup>2)</sup> coecus, vel claudus, abscissis naribus, surdus, vitiatus, maculatus vel semiputridus corpore<sup>3)</sup>, gibbosus, insanabili laborans morbo, vel aspectu horridus, aut ridiculus conditione corporis<sup>4)</sup>. 8) Amentes, animi morbo laborantes. 9) Neophyti<sup>5)</sup>. 10) Ex defectu bona famae donec reparetur. 11) Ob defectum lenitatis, uti sunt milites, qui in bello occiderunt, vel judices, qui ad mortem condemnarunt, accusatores et testes in causa criminis si mors sequatur. 12) Ex defectu libertatis, conjugati prohibentur ab Episcopatu viventibus uxoribus, nisi eae sponte professionem monasticam prius emittant.

### § 5. Irregularitas ex delicto.

Ex delicto irregulares sunt: 1) In haeresim vel apostasiam a fide incidentes, et quoniam Schisma quoque delictum constituit, hoc etiam producit irregula-

<sup>1)</sup> Antoine Theol. mor. Pars II. p. 270.

<sup>2)</sup> Canon Apostolor. LXXVIII.

<sup>3)</sup> Prodromus ad Can. Apost.

<sup>4)</sup> Aristen. ad eundem Can. Apostol.

<sup>5)</sup> Can. II. Conc. Nic. I.

<sup>6)</sup> Can. Apost. XIX.

<sup>7)</sup> Can. I. Conc. Nic. I.

ritatem, 2) Voluntarie occidentes hominem, vel mutilantes membro, quod distinctum et compleatum in corpore officium habeat, uti sunt manus, pes etcet., ac etiam mandantes; item abortum procurantes foetus animati. 3) Qui ante ordines adulterium, incestum, sodomiam, et bestialitatem commisit. 4) Eunuchi per se ipsos aut cum proprio consensu absque necessitate ab aliis evirati. 5) Simoniaci, ac foeneratores. 6) Ex mala susceptione baptismi, quam incurrint tum qui scienter sacramentum baptismi ab haeretico publico extra casum necessitatis suscipiunt, tum qui publice ac solemniter rebaptizant. 7) Indebite Ordines suscipientes et exercentes, uti qui censura irretiti Ordines suscipiunt, vel exercent, ac promoti per saltum et exercentes Ordines non susceptos. 8) Matrimonium quounque modo prohibitum contrahentes.

*Nota:* Juxta praesentem disciplinam delicta contra probos mores tunc tantum irregularitatem producunt, si sint notoria et quae generant infamiam.

### § 6. Dispensatio ab Irregularitate.

Summus Pontifex dispensat ab irregularitate publica, quae sit juris ecclesiastici. Episcopus autem dispensare potest in casibus solum occultis, item in casibus lege determinatis, quales sunt: 1) Neophyto ob magnam Ecclesiae utilitatem<sup>1)</sup>; 2) Reos bigamiae similitudinariae<sup>2)</sup>; 3) Mutilantes leviter se aut alium<sup>3)</sup>; 4) Natos ex illegitimo thoro, ut minores Ordines suscipere, simplexque beneficium tenere valeant; 5) Clinicos<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> C. 9. dist. 61.

<sup>2)</sup> Cap. 4. de Cler. Conjug. C. 22. C. XXVII. qu. 1. C. 4. 7. X. de digamis non ordinandis.

<sup>3)</sup> Cap. 1. et 4. de corpore vitiatis.

<sup>4)</sup> Cherier. pag. 13.

### § 7. Titulus Ordinationis.

Juxta Canones Ecclesiae Orientalis nemo, nisi ad titulum certae Ecclesiae seu Officii sacri in aliqua Ecclesia obeundi et beneficij cum eo conjuncti, ex quo vivere possit<sup>1)</sup> potest ordinari, atque Catalogo alicujus Ecclesiae inscriptus ab ea Ecclesia propria voluntate recedere non potest sine Episcopi assensu. Hodie Ordinationes fiunt generaliter ad titulum dioecesis, ita, ut ordinatus jus habeat applicationis ad aliquod Officium dioecesanum et perceptionis beneficij cum eo conjuncti, quod si non adimpleatur, Episcopus, qui ordinavit, ordinatum intertenere debet<sup>2)</sup>. Alexander III. in Concil. Lateran. III. 1179.: „Episcopus inquit, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis assignet, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere.“ Obligatio haec afficit etiam mortui ordinantis in officio successores et heredes. Episcopus, qui ordinaret quempiam sub promissione: de non petendo provisionem, a collatione Ordinum per triennium, ordinatus vero a suscepto Ordine in perpetuum suspenderetur<sup>3)</sup>. Religiosi ordinantur ad titulum professionis monachalis quam emittere debent antequam ordinentur.

<sup>1)</sup> S. Paulus: qui altari servit de altari vivat.

<sup>2)</sup> C. 4. 16. de praebe et Cap. 37. h. t. in 6.

<sup>3)</sup> C. 45. de Simon.

### § 8. Scrutinium seu examen Ordinandorum.

Scrutinium, seu examen ordinandorum praescripsit jam Concilium Nicaenum I. Canone IX., cuius verba sunt: „Quicunque citra examinationem promoti sunt Presbyteri, vel examinati, sua peccata confessi fuerint, eisque confessis praeter Canones moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit, quod est enim a reprehensione alienum defendit Ecclesia.“ Canon hic manifeste indicat Ecclesiam doctrinae S. Pauli conformiter, nonnisi irreprehensibiles, habentesque vocationem sicut Aaron, ad sacros Ordines promovibiles esse, docere; probandos proinde, scrutandos, et examinandos esse eos statuit, qui ad sacros Ordines adspirant. Examen ergo ordinandorum est scrutinium eorum, qui ad sacros Ordines adspirant, utrum capaces, idonei et digni ad suscipiendos Ordines, id est: num aliquo impedimento canonico, sive irregularitate a sacris Ordinibus suscipiendis prohibiti non sint, atque num illis dotibus, et virtutibus instructi esse censeri possint, quae vocationem adspirantis ad statum ecclesiasticum extra dubium constituant. In hoc examine producere debent ordinandi: testimonium de legitimis natalibus, et aetate pro Ordinibus suscipiendis praescripta; testimonia super absolutis bono cum successu studiis theologicis, atque intemerata vita; sed et testimonium de mansveta indole constanter contestata juxta effatum Christi: „discite a me, quia misericordis sum et humilis corde;“ item testimonium de zelo pietatis, item propriae et aliorum salutis, propriae scientificae perfectionis, ac spiritu coelesti. Qua occasione examinantur de iis, quae proxime de

Ordinibus, quos suscipere intendunt, scitu necessaria sunt; et si omnibus scrutinii conditionibus satisfecissent, professionem fidei catholicae eliciendam habent\*). Hoc autem scrutinium seu examen ordinandorum instituendum est sub personali Episcopi praesidio, quoniam personalis responsabilitas Episcopo ordinanti incumbit, si aut ineptum, aut indignum ordinaverit. Est autem hoc scrutinium ordinandorum in Consistorio instituendum, in omni enim majoris momenti negotio Episcopus obligatur sui Senatus votum exquirere; ut eo certior sit Episcopus, et judicio aliorum quoque confirmetur adspirantem omnino idoneum et dignum esse ad Ordines; Ideo Canon VII. Theophili Alexandrini statuit: „Sacra ordinatio clancularie non fiat; verum adspirantem omnes Sacerdotes perspectum sibi reddant, et communi consensu post praemittendum e parte Episcopi examen circa eundem edito ordinetur.“

Juxta Canonem 36. Concilii Carthaginensis Presbyter aut Episcopus non prius ordinandi sunt, quam prius omnes suos domesticos seu cognatos ad Catholicam Ecclesiam adducant.

### § 9. Minister proprius ordinis.

Minister ordinarius sacrae Ordinationis est Episcopus; ad licitam vero Ordinum collationem requiritur insuper, ut sit Episcopus proprius ratione originis vel domicilii, familiaritatis, vel beneficii ad quod quis ordinatur. Potest insuper alter Episcopus, licite conferre Ordines ex delegatione propriae Ordinarii.

\*) Canon XIX. Conc. Carthag.

Reordinatio vero, sive nova Ordinatio, sacrilegium est, propter quod tam ordinans quam ordinatus depositione plectuntur<sup>1)</sup>; nisi prior manuum impositio ab haereticis talibus facta fuisset, qui vel secundum divinam institutionem ab Ecclesia propositam non ordinant, aut vero ipsi pseudo-episcopi ordinantes, charactere episcopali carent.

### § 10. Minister Ordinis Episcopalis.

Ordinis episcopalis Minister quoad Episcopos est Metropolita provinciae ecclesiasticae, aut quem is delegaverit. Metropolitanorum autem Patriarcha, aut quem is delegaverit. In ordinatione Episcopi inquit Canon Apostolorum<sup>2)</sup> Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. In casu tamen necessitatis, dum plures haberi non possunt, sufficit etiam unus.

### § 11. De respuentibus gradum ordinis eminentiorem.

Clerico vel Diacono eminentiorem gradum Ordinis injuste respuenti, interdicitur etiam illius, quem habet, exercitium, nisi ex justa causa dispensemetur<sup>3)</sup>.

### § 12. Ordinatio gradatim est instituenda.

Non potest quis intermisso gradu inferiori Ordinis ad superiorēm Ordinem promoveri juxta decre-  
tum Concilii Sardicensis Can. X. cuius tenor est:

<sup>1)</sup> Canon 68. Apostolor.

<sup>2)</sup> Vide Can. 1. SS. Apostolorum, et Scholion. in opere Auctoris Codex Canonum Orientalium Catholica interpre-  
tatione illustratus.

<sup>3)</sup> Can. 31. Concil. Carthaginensis.

„Non prius ordinetur in Episcopum, nisi et Lectoris munere, et officio Diaconi, et Presbyteri fuerit perfectus, ut per singulos gradus si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus.“ Nec possunt Ordines ad semel, vel uno die conferri, sed prima die praemissa tonsura clericali in Lectores et Subdiaconos ordinandi; distinctim autem Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus observatis interstitiis pro ratione necessitatis longioribus vel brevioribus confertur. Ex sententia Graecorum nequit sub uno sacrificio Missae nisi unus Presbyter ordinari, quoniam Sacrificium, ad quod offerendum Presbyter ordinatur, unum tantum est. (Vide Pidalion.) Ex unitate tamen sacrificii male infertur Episcopum non posse in eadem ordinatione plures sacerdotes constituere, cum et ipse Christus in coena novissima unicum certe Deo Patri obtulit sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, et tamen Apostolos sacerdotes instituit. Quod insuper ex antiquissima Ecclesiae traditione desumitur.

## CAPUT II.

### DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

#### S. 13. Clerici vita et conversatione sint secularibus superiores.

Clerici sunt a Deo vocati et sanctificati, ut sint duces verbo et exemplo humani generis ad moralitatem, et vitam religiosam, qua pervenitur ad salutem et vitam aeternam. „Vos estis lux mundi ait Christus, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificant Patrem, qui

in coelis est.“<sup>1)</sup> In sacris Scripturis dicitur Sacerdotium regale. Gens sancta; „juravit Dominus et non poenitebit eum; tu es sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedec,“ ut adeo cuiuslibet sacerdotis officium sit omnibus viribus adniti, ut quo similius prototypo suo summo sacerdoti Christo doctrina et vita evadat. Ideo scientia sacra Clericus praestare debet sicut Christi scientia et doctrina eminet supra omnem scientiam humanam. Clericus debet esse imago sapientiae, ergo prudentia mundi haud contentus, sed sapientia vitae evangelicae longe superior, non consistens in legalitate et honestate actionum externarum, ad perfectam virtutem contendere debet. „Tantam habentes impositam nubem testium, inquit S. Paulus in Epistola ad Hebraeos<sup>2)</sup> deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei. et consumatorem Jesum.“

Vita Sacerdotis debet esse ad Christi et Apostolorum exempla composita, sequens sapientiam, quam sibi propriam reddat per conversationem cum Deo legendo sacras scripturas, meditando in lege Dei die ac nocte, atque colloquendo indesinenti oratione cum Deo, cuius ipse Sacerdos in terris vices gerit. Redemptio generis humani in restituto dominio rationis per revelationem divinam illustratae, ac voluntatis supernaturalium gratiarum ubertate ad reportandam contra inimicum salutis victoriam, robore consistit, ut homo legitime certando coronetur. Quantum autem dedecus! si ipse dux Sacerdos, in pugna spiri-

<sup>1)</sup> Matth. C. 5. v. 16.

<sup>2)</sup> Heb. C. 12. v. 1. et 2.

tuali ignave succumbat, atque vincatur! Quantum decus! si is, Sacerdos, quem inimicus salutis ipse horrere debet velut armatum tot gratiis atque speciali ipsa sacramenti Ordinis suscepti gratia semet per eundem seduci permittat, et propter oblatas delicias mundi prostratus adoret eum, dorsum vertens Creatori, et se in servum diabolo tradendo. O Sacerdos! o idolum! Hinc Ecclesia Canonibus et specialibus praescriptis Clericos amplius adhuc contra omnem seductionem inimici salutis munitos esse voluit, quae observantes, atque a curis saeculi expediti tales se exhibeant, ut idonei sint maximo operi sua et concreditorum salutis, ad quod divinitus vocati sunt, exequendo. Ideo Patres Concilii Tridentini vere divino spiritu inspirante enunciarunt: „Sic decet Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant.”\*)

#### S. 14. De iis, quae Clero respectu status sui prohibita sunt.

Quae lege morali cuilibet homini christiano prohibita sunt, sunt tanto magis Clero interdicta, et transgressio praceptorum, et legis divinae magis imputatur clericis quam laicis; imo quae laicis transpiciuntur, Clero imputantur juxta illud: „Quae in ore laicorum sunt nugae, in ore Clericorum sunt blasphemiae.“ Ecclesia vult esse Clericos non solum ante Ordines irreprehensibiles, sed etiam et imprimis post

\*) Sessione XXII. Cap. I. de Reformat.

suscipitos Ordines, qui gratia sacramentali roborati, atque ad maturitatem viri perducti, et ob id sacerdotes, etiam seniores vocati, constanti ac virili animo omni peccaminoso assaultui constanter contradicere, illumque repellere valeant et teneantur. Hinc quantopere vitia ebrietatis, avaritiae, et incontinentiae, clericos dedeceant, hisque vitiis deditos clericatu indignos esse satis patet; nec mirum, Ecclesiam in tales damnationis atque excommunicationis latae sententiae poenam canonibus sanxisse.

1) Avaritia est idolorum servitus<sup>1)</sup> ideo Clero omnis usura, quaestus, aut negotiatio pro lucro, sub poena depositionis interdicta est.<sup>2)</sup> Pariter prohibetur Presbyteris et Diaconis in arendam vel pignus redimere villas optimatum, aut alias possessiones lucri gratia.<sup>3)</sup>

2) Gula et ebrietas sunt vitia, quae clericum omni honore et pretio exuunt, ideo Canon Apostolorum 42. tales, sicut et aleatores deponi jubet. Et si Clericus citra gravem necessitatis casum in caupona inventus fuerit, ibidem comedens, bibens, aut degens, juxta Canonem 54. Apostolorum excommunicandus est.

3) Relate ad vitium incontinentiae, sacri Canones per id honori Cleri consultum esse voluerunt, ut non solum ab ipso vitio sub poena depositionis, sed et a suspicione immunem Clerum esse debere statuerint. Sic Canon III. Concilii Nicaeni I-i prohibet Clericis mulieres extraneas non ad familiam spectantes suspectas intertenere.

<sup>1)</sup> Ephes. c. 5. v. 5.

<sup>2)</sup> Can. 40. Apostolor.

<sup>3)</sup> Can. 16. concil. Carthag.

4) Prohibent canones Clericis omnem profanam occupationem, venationem<sup>1)</sup>) Canon 7-us Concilii Chalcedonensis, Clericos, qui munere suo abjecto militiae nomen dant, aut mutato habitu laicum ingrediuntur statum anathemati subjicit. Canon autem 24. Concilii Trullani, Clericum, qui ad circenses ascenderit, seu Theatra frequentaverit, deponi praecipit.

5) Prohibent Canones, ne sacerdotes fidejussores, aut tutores et curatores agant, excepto si curam orphanorum provocati suscipiant, ut taliter toti vocationi suae absque omni seculari distractione et cura intenti esse possint.<sup>2)</sup>

### S. 15. De habitu externo Clericorum.

Quoad habitum externum Canones praescribunt:

1) Coronam capitum, seu tonsuram clericalem, cuius meminit Concilium Trullanum Can. XXI. sequentibus: „Amotus Clericus coronam capitum tondere potest, si cessat peccata patrare, quorum causa amotus est; si autem idem peccatum continuat, capillos ut reliqui laici crescere sinat.“ Pidalion ad citatum Canonem notat: „coronam capitum non esse tantum Latinorum, sed universae Ecclesiae, signum distinctivum Clerici a laicis, quae designat coronam spineam Salvatoris.“

2) Prohibitum est Clero omnis quaesitus corporis ornatus, de quo Concilium Trullanum Canone 96 sequentia statuit: „Qui Christum per baptismum indu-

<sup>1)</sup> S. Hyeronymus non Venatores, sed piscatores animarum invenimus Sanctos: in Psalmum 90.

<sup>2)</sup> Can. VI. SS. Apostolor.

runt; ejus in carne vitae agendae rationem imitari professi sunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium detrimentum scite excogitatis nexibus adornant, et componunt, et infirmis animis escam ea ratione objiciunt, convenienti suppicio paterne curamus, ipsos instituentes, et temperanter vivere docentes, ut reicta fraude et vanitate, quae ex sordibus humanis oritur, ad interitus expertem, beatamque vitam mentem assidue traducant, et in timore puram et sanctam conversationem habeant, et Deo quoad iis fieri potest appropinquent, per vitae probitatem et internum magis quam externum hominem virtutibus, et bonis in culpatisque moribus se exornent; ut nullas in se ferant reliquias perversitatis usque adeo repugnantis: si quis autem preter hunc Canonem versatus sit excommunicetur.“

*Nota.* Pidalionistae post Zonaram dicunt: Canone hoc Latinos quoque et eorum imitatores, qui barbam ex vanitate radunt ut juvenes prospiciant damnari, et excommunicatos declarari; quod est additamentum Graecorum; in textu enim canonis prout hujus, ita aliorum canonum nihil de abrasione barbae occurrit. Ecclesia damnavit solum vanitatem et quaesitum corporis externum ornatum, ad quem refert Canon cultum quae situm capillorum sive in capite, sive barba. Latinos autem et qui hos imitantur ex vanitate barbam radere, est suppositum Graecorum; et cum fraterna charitate haud conciliabilis criminatio; abrasio enim barbae munditatem et comitatem externam, quae mansvete compositi et mundi animi interni externum indicium est, indicat; oportet namque Clericos externo suo habitu mansuetudinem, culturam, et non cruditatem ac barbariem exhibere. Interim apud Orientales promissio capillorum et barbae est signum iustitiae et poenitentiae, hinc ex motivo hoc habet aestimationem barba; contendendum autem est ad puritatem angelorum, et justitiam originariam, ad quam nos Christus restituit per redemtionem, atque redempti et a peccato

mundi non amplius lugeamus, sed secundum monitum S. Pauli Apostoli gaudeamus in Domino semper.

3) Quod adtinet exteriorem vestitum Cleri, ex Canone VII. Concilii Chalcedonensis colligere licet, jam eo tempore Clerum externo vestitu et peculiari forma se a laicis distinxisse, quae tamen pro diversitate locorum varia erat, et statuta singularum Dioecesum eatenus praescribebant, quibus Clerus se conformavit et conformare debet, communiter pro Clero praescripta est vestis talaris longa, non pretiosa, lanea, plerumque nigri, aut obscuri coloris.

### § 16. Doctrina canonica Ecclesiae Orientalis quoad coelibitum, et disciplina quoad conjugium Clericorum.

Lex continentiae pro Clericis majoribus adeo in Ecclesia Catholica est antiqua, ut si non ex Apostolica traditione, prout plerique doctissimi nituntur ostendere, ex disciplina saltem ab Apostolicis temporibus derivata, sanctorum Patrum testimonio ac conciliorum canonibus roborata rectissime credatur inducta. Etenim vel ipsa Clericorum dignitas, ministerium, ac divina officia ab ipsis continuo peragenda id exigere merito videbantur; quare Eusebius (Demonstratione Evangelica lib. I. Cap. IX.) loquens de Episcopis ac Presbyteris „His autem ipsis inquit, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, velut iis, qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur.“ Quamvis autem primis Ecclesiae saeculis aliqui etiam ex conjugatis adsumerentur ad sacerdotium, quia, uti recte observat Hieronymus, „non tot erant virgi-

nes, quot necessarii erant sacerdotes;“ ii tamen deligebantur, qui continentiae legem post Ordinem exactissime servare et noverant et constituerant. Quapropter memoratus sanctus Doctor — „Christus, inquit, Virgo, Virgo Maria utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici“ — (contra Jovinianum.) Neque Hieronymus loquitur tantum de disciplina Ecclesiae Occidentalis, utitur enim argumentis, rationibusque ex Cleri dignitate ac officio derivatis, quae certe universalis Ecclesiae Clerum respiciunt; ipse insuper qui maximam vitae suae partem in Oriente duxerat, illius Ecclesiae disciplinam optime noverat; ac denique facto Ecclesiae universalis Vigilantii deliramenta confutat = inquiens: „Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae? quae aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt. = (contra Vigilant.)

Hieronymo concinit Epiphanius in Ecclesiae Orientalis disciplina ac moribus apprime versatus. Porro sanctus Doctor historice sui temporis disciplinam exponens — Sacerdotium, inquit, ex virginum ordine praecipue constat, aut si minus ex virginibus... ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se uxoriibus continent, aut ... in viduitate versantur — (S. Epiphanius in expositione fidei Catholicae Cap. 21.) = Quin eum, qui adhuc in Matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit Ecclesia ubi ecclesiastici Canones accurate servantur — (Idem haeresi

59.) Quam quidem conclusionem ideo adjecit Epiphanius, quoniam optime noverat Presbyteros, Diaconos etcet. alicubi ex Pastorum negligentia adhuc liberos suscipere, unde e vestigio respondet: — Non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere et connivere solet.

Neque aliter sentiunt ceteri Patres Graeci ut Chrysostomus in Epist. 1. ad Timoth. hom. 10., Gregorius Nyssenus, de Virginitate cap. ultimo. Origenes, homil 23. in lib. numer. etcet. (Vide etiam Pravila C. 134.) Quae cum ita sint plerique doctissimi expendentes Canones vulgo Apostolicos, non immerito Canonem VI. ita intelligunt, ut expositae doctrinae cohaereant.

Etenim praedicto Canone statuitur: Ne Episcopus aut Presbyter uxorem propriam (quam ante Ordines duxerat) nequaquam sub praetextu religionis abjiciat — quia nonnulli ex conjugatis ad sacerdotium promoti, suarum deinde uxorum pertaesi, sub pietatis obtentu violenter abigebant. Haec porro Canonis verba probant quidem tunc temporis licuisse cohabitare cum uxoribus, quas ante Sacerdotium duxerant, in eadem domo, ubi diversa erant conclavia, dummodo tamen caste eas regerent, atque ab omni conjugali consuetudine abstinerent. Praeclare S. Leo (Epist. 92. C. 3. et 84. C. 4.) antiquam illam disciplinam describit, inquiens: „Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habent sic habere, quo et salva sit caritas conjugum et cessent opera nuptiarum.“ Quo etiam sensu S. Gregorius Magnus statuit quidem, ut — Episcopus hoc quam maxime diligenter inspiciat, ne

si (Subdiaconi) uxores habeant, miscendi se cum iis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis Apostolicae eos cuncta observare constitutat (lib. 4. Epist. 52. alias lib. 3. epist. 50.) attamen ad coabitacionem quod adtinet, adjungit — hoc tantummodo adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caste regere debent non relinquant — (Idem lib. 7. Epist. 39. alias lib. IX. Epist. 60.) Ea quippe, ut recte notat Thomassinus, (Vetus et nova Ecclesiae disciplina vol. 1. p. 1. lib. 2.) erat illa aetate sacerdotum integritas ac religio, ea vis legis ecclesiasticae, quae Clericorum famam tutissimam redderet. Sed de antiquissima universalis Ecclesiae disciplina quoad Clericorum continentiam pro instituto hactenus.

Ad Ecclesiam vero Occidentalem quod attinet res est certe evidentior, quam ut possit vel in dubium vocari; cui enim ignota esse poterunt historiae monumenta vel ab ipso Ecclesiae exordio, cui tot Conciliorum Canones ut Clericorum mores ad normam Apostolicae sedis componerent? Extant profecto summorum Pontificum Innocentii, Siricii, Leonis etc. epistolae, extant Concilii Eliberitani Decreta (an 305) ubi canone 33. sub depositionis poena statuitur, ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi ac Subdiaconi cum suis uxoribus consyescere audeant. Eadem insuper licet inspicere in Concilio Taurinensi anno 397. celebrato, in Carthaginensi II. anno 390. in Toletano anno 400.; Arausicano anno 441. Arelatensi, Turonensi etc. ita ut Canones Conciliorum, Summorum Pontificum decretales ac luculentissima S.S. Patrum auctoritas a primis Ecclesiae saeculis ad nostra usque tempora continuata serie Occidentalis Ecclesiae disciplinam et Clericorum continentiam apertissime adstruant.

\*) Graviter igitur a veritate aberrant, qui legem continentiae ac coelibatus pro clericis majoribus occidentalis Ecclesiae S. Gregorio VII. adscribere contendunt, cum sanctissimus ille Pontifex nil aliud fecerit, quam plenam antiquorum Canonum observentiam, alicubi collapsam, instaurare, atque firmissime exigere (consule Chronic Lamberti et Scoti ad an. 1064) quemadmodum venerabiles ejus decessores ac successores pro tuenda ecclesiastica disciplina indesinenter fecisse tot authentica documenta ostendunt ac probant.

Ast quamvis (Benedictus XIV. Instructione „Eo quamvis tempore“ die 4. May 1745.) „antiquissimo inquit tempore ad augendam clericalis militiae sanctitatem, utraquae Ecclesia Occidentalis et Orientalis aequa praescripsit, nendum Presbyteros, sed alios etiam in sacris Ordinibus constitutos in perpetuo coelibatu versari debere, et hanc custodiendae castitatis obligationem nunquam remiserit aliarum mater et magistra Romana ecclesia; secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia Orientali. — Etenim sicut aperte eruitur ex Codice Justiniani (l. 1. de episc. et cleric. I. 44. Nov. 123. C. 1., 14., 29.) etiam ante concilium Trullanum perfecte continentiae vel coelibatus legem soli Episcopi servabant, et vix insuper qui coelibates ad sacros Ordines accedebant; qua-

\*) Consul. Thomassin *vetus et nova disciplina* loc. cit. Natal. Alex. hist. Eccl. saecul 4. et 5. dissert XIX. propos 2. Zaccharia del Celibato sagro. Vide in super Epist. S. Sicili ad Himerium Taracconens. Cap. 7. S. Leo Epist. 84. ad Episcop. Thesalon, C. 4. et epist. 92. ad Rustic Episcop. Narbo. C. 3.

propter quod erat antea Cantoribus Lectoribusque tributum, invalidit etiam pro Presbyteris, aliisque Clericis in Sacris constitutis, ut nempe cum uxoribus quas ante sacram Ordinationem duxerant, conjugaliter viverent. Districte temer ac sub gravissimis poenis utriusque juris praescripto cautum fuit ne Hypodiaconi, Diaconi, ac Presbyteri post hujusmodi ordinationem matrimonium attentare praesummerent. Quare Canone VI. Concilii Trullani statuitur: „Quoniam in Apostolicis Canonibus (Can. 27.) dictum est, eorum qui non ducta uxore, in Clerum promoventur solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem matrimonium contrahere liceat, si autem fuerit hoc ausus, deponatur.“

2) Juxta Canones itaque Orientales Matrimonium legitimum et castum, seu si quis liberam duxit atque virginem, eamque unam, non est impedimentum ad sacros Ordines suscipiendos. Sed et Latini promovent ad sacros Ordines viduos, qui uxorem unam atque virginem habuissent, ante Ordines defunctam.

3) In Ecclesia Orientali Presbyteri et inferiores Ministri, etiam post sacros Ordines licite uxores retinent et iis convivunt juxta Canonem Concilli Trullanum XIII. atque Constitutionem Benedicti XIV. „Et si Pastoralis“ cuius verba sunt: Nro. XXVI. „Et si expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini servarent; nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines, virgines, non viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia.“

**S. 17. Continuatio : Ecclesia tamen Orientalis coelitum Clericorum statui conjugali semper praetulit.**

Canones Ecclesiae Orientalis perhibent, eandem Ecclesiam praetulisse sacerdotium a curis secularibus et familiaribus plene liberum, (vide Pravila, Glava vel C. 134) cum ministerium Dei integrum et non divisum hominem requirat, dicente S. Paulo Apostolo\*) „Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisor est.“ Quod si ergo historia primae Ecclesiae Christianae priorumque saeculorum exempla perhibeant non modo inferiores Clericos, Diaconos, Presbyteros, imo Episcopos quoque conjugatos exstitisse, id ex necessitate, contigisse confitendum est. Ipse Justinianus Imperator 1. 42. Cod. de Episcopis et Clericis: „Vix fieri potest inquit, ut vacans hujus quotidianae vitae curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa divinam Lytiagram et res ecclesiasticas consummat. Nam cum quidam summa in Deum spe, et ut animae eorum salvae fiant, ad sanctissimas currant Ecclesias, et eis omnes suas facultates afferant, et relinquant, ut in pauperes et egenos, aliosque pios usus consummantur, indecens est Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem et cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minime impeditum affe-

\*) 1-ae ad corinth. C. 7. v. 32. et sequent. Can. VI. Apostolorum.

ctionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem. Has igitur ob causas prohibemus habentem natos aut nepotes ordinari Episcopum.

Et profecto huic coelibatus disciplinae adscribenda est cultura et civilisatio populorum ritus Latinus; prout etiam eruditio et scientifica cultura, qua Clerus latinus praeeminet, vitaque populi religiosa, et religionis Christianae ad extremos usque terrae limites propagatio; jam enim Seneca dixit: „Amor conjugalis etiam altos, et generosos animos frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit.“ Sed et ipse sui aevi eruditissimus Protestans Leibnicius in Summa Theologiae pag. 322: Coelibatus Clericorum disciplinam sequentibus extollit: „Ceterum etsi Matrimonium sit Sacramentum, et irreprehensibile censeri debet, fatendum tamen est, ob manifestas rationes, et consensum populorum, et verba expressa Scripturae sacrae plus laudis habere coelibatum caste servatum; nam et mens solutior est ad coelestium rerum contemplationem, et animo ac corpore integro atque mundo a libidine et carnali affectu purius digniusque sacra tractantur.“ Item pag. 824. idem Leibnicius: „Ipsi autem Clerici ac Religiosi sibi firmiter persuadere debent, ad castitatem servandam vix alia re opus esse solere, quam vitatione otii, atque malarum occasionum, et seria cuiusvis voluntate, cuius gratiam Deus devote invocatus nemini negat.

Demique dum Concilium Trullanum Canone XIII Clericis sacra celebraturis atque jejunantibus et orantibus continentiam ab uxoribus injungit; sacram coelibatus disciplinam Clericis magis convenientem esse profitetur\*), quae ideo quoque preferenda est, cum

\*) Vide etiam Pravila §. 49. P. I. hujus operis C. 134.

Clerici conjugati amissa uxore, aliis nuptiis eisdem interdictis, majori incontinentiae periculo obnoxii evadant, quam si ab initio casto coelibatui adsvervissent.

### § 18. De conversatione, et distractionibus Cleri.

Clericos oportet retractam a vulgo et seculo vitam ducere, in solitudine domestica scientiam Dei dicentes, et meditantes, in silentio orantes, atque obligationes muneric sui adimplentes, Sanctorum vitam imitatos. Ideo Sacerdos cum hominibus laicis tantum ob necessitatem et utilitatem spiritualem conversabitur, tam ut majorem hominum cognitionem sibi acquirat, quam etiam ut omni data occasione eos aedificet. Sacerdos respectu omnium laicorum pater spiritualis est, ideo cum laicis tamquam filiis spiritualibus sicut pater cum filiis naturalibus cum cautela conversabitur, ne respectui et auctoritati suae paternae derogetur. Non convenit etiam Sacerdoti in conversatione cum viris in dignitate constitutis adulatio, assentatio, aut servilis submissio, Sacerdos morum nitore ac gravitate reverentiam et auctoritatem sibi conciliare debet.

*Nota.* De usu Tabaci: Theologi in varias sententias abeunt relate ad usum tabaci sive in frusta consicissi, sive in pulverem redacti, ore vel naribus in fumo per tubulos (cigar) vel per faicam, aut quocunque alio modo adhibiti; quorum aliqui usum herbae nicocianae Clericis indecentem, alii rem indifferentem esse statuunt; dependet autem multum a circumstantiis locorum, et si laici in eo scandalisentur, tunc abstinentendum est juxta S. Paulum: „Multa mihi licent, sed non omnia expedient. Si autem scirem quoniam scandalisatur frater meus, non comedererem carnes, (hinc etiam non fumarem) in aeternum.“ Omnem in casum decentius est Clerico non fumare; publice autem fumare, puta in locis publicis, in plateis, indecentissimum imo scandalosum.

Alia quaestio est, num ante celebrationem S. Missae, et statim post sumptionem Eucharistiae fumare, aut tabacum in Ecclesia e pixide sumere, vel ore masticare liceat? Benedictus XIV.<sup>\*)</sup> relictis in medio, seu indecisa quaestione de tabaci folii masticatione tradit: „Nequaquam hodie expedire, ut usus tabaci fumi, aut pulveris naribus attracti sub censurarum poena interdicatur, cum hodie a consuetudine sit adeo talis usus honestatus, ut nulli prorsus scandalum praebeat, aut admirationem causet.“ Exinde etiam conclidi potest sententia istius Pontificis, per sumptionem tabaci, si forsitan masticationem ejus excipias, quia per hanc materia succi expressi stomacho digerenda adportatur, jejunium naturale ipsummet non frangi. Ceterum quivis Clericus constitutionibus dioecesis particularibus forsitan circa tabaci usum existentibus se conformare obligatur.

### § 19. De Instituto educationis Cleri.

Partim ad probandam vocationem adspirantium ad statum ecclesiasticum, partim ad imbuendum Clericum scientia sacra, atque exercendum in iis, quae sacrorum munierum sunt, ipsaque pugna spirituali, militia enim est vita hominis in terra: postquam adversarius salutis imprimis ducem spiritualem impedit, ut infirmata ejus virtute, eo facilius et gregem seducat, iuxta illud: „percutiam pastorem et dispergentur oves gregis.“ Clericorum seminaria saluberrime instituta sunt, imo ut ad haec quoque ab infantia incorrupti, et ab omni spiritu seculari immunes assumi possint, puerorum quoque Seminaria sapientissimo consilio eriguntur: Ut autem Seminaria scopo plene respondeant, praeter institutionem in necessariis scientiis, vitae spiritualis in iis praecipua ratio

<sup>\*)</sup> De Synodo dioecesana Libr. IX. Cap. XIII. Num 1. 2. et 3.

habenda est; qui enim habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me, ait Salvator. Clericus miles Christi, ex ipso Seminario bene exercitatus in pugna spirituali, et in scientia Sanctorum instructus, ut ducem spiritualem agere possit, prodire debet. Quoad Seminaria decrevit Conc. Trid.: ut in qualibet Sede Metropolitana vel episcopali sint Collegia, in quibus alantur certo numero pueri, et edacentur, quae Collegia sint perpetua Dei Ministrorum Seminaria.

### CAPUT III.

#### JUS BENEFICIORUM ET PATRONATUS.

##### § 20. Notio Beneficii ecclesiastici.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi proventus cum officio ecclesiastico conjunctos, auctoritate ecclesiastica collatum. Ergo beneficium datur propter officium, et sine officio ecclesiastico beneficium non datur, ideoque beneficiorum ecclesiasticorum soli Clerici capaces sunt. Dicitur autem beneficium jus perpetuum, quae perpetuitas ex doctrina Apostolorum originem trahit. S. Paulus<sup>1)</sup>: „Unusquisque inquit, in qua vocatione vocatus est in ea permaneat“<sup>2)</sup>, ideo beneficium non est quod ad nutum conferentis dimitti debet, sicut sunt Capellaniae, aut Administraturaे usque ad ordinariam collationem officii commissae. Dicitur denique beneficium jus auctoritate ecclesiastica collatum, ergo non per presentationem Patroni, sed institutionem ecclesiasticam ejus, ad quem spectat, Pontificis, vel Episcopi.

<sup>1)</sup> 1-ae ad Corinth. C. 7. v. 10.

<sup>2)</sup> Conc. Nic. I. C. 16.

##### § 21. Origo Beneficiorum.

Jus percipiendi proventus cum officio sacro conjunctos ex Apostolorum doctrina derivatur, S. Paulus 1-ae ad Corinth. Cap. IX. v. 7. inquit: „Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? dein v. 9—14. addit: Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant de evangelio vivere.“ Hinc origo Beneficii ab origine Officii repetenda est; obtento enim officio sacro, eo ipso jus sustentationis obtentum est. Primis Ecclesiae temporibus Clerici ex oblationibus fidelium benevolis vivebant, habentes alimenta et quibus vescerentur juxta doctrinam Apostolicam<sup>1)</sup> contenti; nec quaerebant commoditates vitae temporalis, ideoque Clerici aureae ejus aetatis populo oneri non erant. Ipse S. Paulus Apostolus quamvis dicat se jus habere ad fidelium temporalia propter ea, quae ipsis ministrabat spiritualia, tamen exactiones non fecit inquiens<sup>2)</sup>: „Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu: beatus est magis dare, quam accipere.“ Et alio loco idem S. Paulus<sup>3)</sup>: Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia. Qui autem divites volunt fieri incident in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae

<sup>1)</sup> S. Paulus 1-ae ad Timoth. C. 6. v. 8.

<sup>2)</sup> Actus Apost. C. XX. v. 33. et sequ.

<sup>3)</sup> 1-ae ad Timoth. C. VI. v. 6.

mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei haec fuge.“

A saeculo autem VI. sensim fixi proventus ex agris, decimis, frugibus, et stola, Officiis ecclesiasticis adnexa sunt.

## S 22. Diversae species Beneficiorum.

Beneficia passim dicuntur „majora“, cum quibus jurisdictione pro foro exsterno conjuncta est, uti Episcopatus; item beneficia „media“, qualia sunt Capitulorum; et „minora“, quae jurisdictionem pro foro interno tantum seu conscientiae conjunctam habent, qualia sunt beneficia parochialia; 2) distinguunt canonistae inter beneficia „simplicia“, quae curam animarum annexam non habent, uti canonicatus, praebenda, et „curata“, quae curam animarum connexam habent. 3) Beneficia „patronata“, in quantum presentationis jus alteri quam Episcopo competit; vel „liberae collationis episcopalibus“, dum nulli alteri de privilegio jus presentationis competit. 4) Beneficia „secularia“, quae Clero seculari, et „regularia“, quae regulari Clero, seu Monachis conferuntur. 5) Beneficia „compatibilia“, quae eandem residentiam admittunt, sic Canonicus potest esse in loco eodem etiam parochus; vel „incompatibilia“, quorum quodlibet propriam personalem residentiam sibi vindicat, vel uno eodemque tempore spirituale servitum exigunt\*).

\*) Can. X. Concil. Chalcedon. Trident. III. 5. ref.

## S 23. De erectione Beneficiorum.

Qui habet jus erigendi officium ecclesiasticum, habet etiam jus erigendi beneficium. Episcopatus et Capitula per Pontificem eriguntur; parochalia autem aliaque minora beneficia per Episcopum. Eriguntur autem officia, si sufficiens dos assecurata sit, et a competente auctoritate ecclesiastica aut destinetur, aut acceptetur.

Erigenda autem sunt beneficia vel officia 1) Justa de causa, ob necessitatem vel majorem utilitatem Ecclesiae. 2) Auditis iis ad quos spectat, ne forte per refectionem novi officii et beneficii jura aliorum laedantur. Ita si novus Episcopatus erigendus est audiendi sunt concernentes Episcopi, qui in territorium erigendi Episcopatus jurisdictionem exercent; si in Capitulo novae dignitatis, Canonici; si nova Parochia, audiendus Parochus et Patronus ad quos spectat. Si non audiatur concernens, appellare potest<sup>1)</sup>, consensus tamen absolute necessarius non est, quem supplet Pontifex, et quoad officia minora Episcopus. 3) Erectio officii et beneficii debet fieri loco opportuno et designatis limitibus.<sup>2)</sup> 4) Ad erigendam Parochiam requiruntur adminius 10. familiae.<sup>3)</sup> Quoad Episcopatus vero, si nisi in Civitatibus aut frequentioribus oppidis erigendi sunt, ne dignitas Episcopalis vilescat. Opportunus pro his locus est, unde nova dioecesis commodius regi possit, seu ex om-

<sup>1)</sup> C. 3. de aedif. Ecl.

<sup>2)</sup> Trid. XIV. 9. et XXVI. 13. de ref.

<sup>3)</sup> S. C. C. const. jur. paroch. 18. Dec. 1762.

nibus dioecesis partibus sit accessus facilis. Ne autem in una civitate duo sint residentes Episcopi cum jurisdictione, prohibent Canones, nisi sint diversi Ritus, quorum quilibet proprii ritus fideles sibi subjectos habet, quod quidem prohibuerat Concilium Lateranense IV. Cap. 9. verum subseque summi Pontifices admiserunt.\*)

#### §. 24. De immutatione Beneficiorum.

Quemadmodum ex justa causa necessitatis aut majoris utilitatis Ecclesiae eriguntur Officia et Beneficia, ita eadem ex justa causa possunt etiam immutari, dummodo audiantur quorum interest, atque id fiat decreto competentis legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

Fit autem immutatio 1) Unione, seu plurium beneficiorum conjunctione et uni personae collatione, ob insufficientem dotem aut sacerdotum penuriam; quae potest esse vel personalis, temporaria, vel realis, perpetua, canonica; porro vel aequalis, dum conjungenda officia propria jura imo et nomen retinent, et si fuerint patronata, oritur compatronatus cum jure alternative praesentandi; si vero electiva, utriusque Ecclesiae electores gaudebunt jure suffragii: vel inaequalis, quae dupliciter fieri potest, nempe: per confusionem, dum unum officium ex duabus non tamquam per se subsistens consideratur; aut per subjectionem, dum unum alteri subordinatur, quo in casu cui subordinatur, ecclesia mater, subordinata vero filia vocatur.

\*) Bened. XIV. de S. D, Lib. II. Nro. V., VI. et VII.

Ad unionem beneficiorum requiritur consensus Capituli<sup>1)</sup>; et quidem superveniens in ipso actu unionis non sufficit<sup>2)</sup>; populi autem consensus ad validitatem unionis necessarius non est, non tamen spernendus ejus rationabilis dissensus<sup>3)</sup>; causa justa unionis beneficii etiam tunc adest, si numerus fidelium infra 10 familias decrescat. Non possunt autem beneficia diversae dioecesis uniri, neque patronatae cum liberae collationis.

2) Divisione, aut dismembratione, prius fit, cum nempe ex uno officio et beneficio duo vel plura fiunt; alterum autem, si novum officium non erigatur, sed pars ab ipso separetur, ac alteri proximo adnectatur. Divisio beneficiorum fieri non potest ex causa quod beneficiatus amplos habeat proventus, nec etiam ob magnum fidelium numerum in Parochia, quo in casu per plures Cooperatores a beneficiato intertenendos et dotandos provisio facienda est, et a decreto Episcopi de assumiendo Cooperatore coactivo, ubi populus est numerosus, Parochus appellare nequit<sup>4)</sup>. Quod si vero melior spiritualis cura divisionem beneficiorum exigat, si longior locorum ad parochiam pertinentium distantia, aut molestia viarum curam animarum difficulter reddat; parochia omnino dividi potest etiam invito Parochio; quantum tamen fieri potest antiquae Ecclesiae possessiones retinendae<sup>5)</sup> et divisio non prius facienda, quam officium vacaverit, vel antiquo Parocco aequivalens beneficium detur. Quod si Pa-

<sup>1)</sup> C. 2. de his quae fiunt a Praelat.

<sup>2)</sup> Decis Rotae 265.

<sup>3)</sup> Res. S. CC. in Novar. union. 11. Sept. 1762.

<sup>4)</sup> S. CC. Eppo. Abul 5. Jan. 1589.

<sup>5)</sup> C. 43. 44. C. 16. 91.

rochia fuit patronata, idem patronus erit et novi beneficii, nisi alter etiam concurrat ad dotationem, qui compatronus erit. Ad dividendum beneficium, tam beneficiatus, quam patronus, et fideles audiendi sunt sub nullitate divisionis. Canonistae agunt etiam de Incorporatione, dum aliquod beneficium corporationi adnectitur, uti Capitulo, Ordini religioso, universitati. Vide Canonistas.

### § 25. Suppressio Beneficiorum.

Suppressio, est extinctio beneficii, dum officium ex integro aboletur. Beneficia curata nisi ex gravissimis rationibus possunt supprimi, quales sunt: a) si quaedam communitas beneficiatum pluries occideret<sup>1)</sup>. b) Si proventus adeo attenuati sint, ut beneficiatus ex iis ali non possit, neque ullus modus suppetat succurrendi. c) Si exigat suppressionem majus Ecclesiae bonum aut necessitas, ob quam etiam e praebendis canonicalibus supprimi possunt; si Capitulares vivere non possint, poterit cum consensu concorrentium per auctoritatem competentem unum aliudve stallum canonice supprimi et eorum proventus capitaribus remansi addici. Quod si patroni imprimis Laici, aut alii interessati irrationabiliter suppressioni contradicant, denegatus eorum consensus poterit a summo Pontifice, vel S. CC. suppleri<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> C. ult. C. 25. qu. 2.

<sup>2)</sup> Res. S. C. C. in Firm. Erect. 18. Aug. 1787. Arim. susp. oner. 29. Decemb. 1788.

### § 26. De Collatione Beneficiorum, regulae generales.

Regulae generales quoad collationem beneficiorum sunt sequentes 1) Beneficia tantum vacantia conferri possunt. 2) Tantummodo Clericis idoneis et dignioribus conferenda. 3) Collatio sit canonica, secundum canones

### § 27. De modis, quibus Beneficia vacant.

Beneficia vacant vel jure, vel facto, vel de jure simul et facto. Jure vacat beneficium quod quis tenet absque legitimo titulo, v. g. temporarius Administrator Parochiae. De facto autem, cujus titulum quis habet, non tamen possessionem, v. g. Parochus non installatus. De jure et facto vacat beneficium illud, cuius nec titulum, nec possessionem ullus habet; quod fit vel per mortem beneficiati, vel libera renunciatione ejusdem per Superiorem ecclesiasticum acceptata ex justis causis, quales sunt;

Debilis, ignarus, male conscientius, irregularis. Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit; quo in casu resignans in Ordinibus majoribus constitutus proprium vivendi modum edocere debet. — Insuper beneficium vacat per privationem, seu sententiam judicis ad amissionem beneficii latam; vel denique per consecutionem beneficii secundi pariter curati, prius vacans evadit.

### § 28. Regulae speciales collationis Beneficiorum.

1) Beneficium de jure vacans conferri quidem potest, nihilominus tamen, solummodo priori posses-

sore, cui fors adhuc aliquid juris in eo competere possit, prius auditio, causaque summarie cognita, in possessionem beneficii intromitti potest. 2) Beneficium de facto solum vacans conferri nequit, imo tale beneficium acceptans excommunicationi obnoxius evadit, et si deinceps penitus vacaret, ad illud sine dispensatione admitti nequit. 3) Beneficium autem de jure simul et facto vacans intra semestre non modo conferri potest, sed et debet.

### S 29. De Examine concursuali.

Beneficia conferenda sunt magis idoneis et dignioribus, quod exploratur per examen sic dictum concursuale. Ab imperitis ait S. Gregorius Magnus<sup>1)</sup> qua temeritate regimen animarum suscipitur, quando ars artium est regimen animarum. "Labia Sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus ait Propheta<sup>2)</sup>. Nihil turpius indocto Magistro. Non sufficit autem ut quis absolverit studia theologica cum calculo sufficienti, verum necesse est, ut continuato studio partim percepta memoria retineantur, partim autem ut continuo studio eam quisque eruditionem sacram consequatur, cuius secundum facultates proprias et circumstantias capax est; hocque suae continuae perfectionis studium Sacerdotibus tantum est officium, ut qui illud negligit saluti suae confidere nequeat, cum pro neglecta hac obligatione restitutio vix possibilis sit; praeterivit sine lucro scientiae irreparabile tempus, sepelivit talenta sua, ideo interservos infideles reputabitur in die judicii; nec mirum

<sup>1)</sup> Pars I-a Pastoralis Cap. 1.

<sup>2)</sup> Melachia C. 2. v. 7.

contremuisse unum e sanctis Patribus dicendo: „Domine! non tam timeo propter commissa, quam propter ommissa.“ Si ex ignorantia medici corporalis moriatur aeger, magna certe illi est imputatio, eo major autem imputatio erit medico animarum, si ex ejus ignorantia artis propriae medendi, animae perierint, aut non reconvaluerint: imprimis cum Sacerdos non solum doctor, sed et defensor fidei esse debeat, juxta Apostolum<sup>1)</sup> paratus semper rationem reddere de ea quae in se est spe;“ ad quod saepe magna eruditio opus est. Sed secus quoque scientia et eruditio sacra preium personale Sacerdotis auget, et scientia, ad vitam scientiae conformem excitat. Ad quam sui perfectionem operandam Ecclesia extimulat Clerum per institutionem examinis concursualis pro obtainendis beneficiis ecclesiasticis, cuius et is scopus est, ut ope ejus dignitas cuiuslibet Sacerdotis Superiori ecclesiastico constet, ut is juste possit satisfacere monito S. Pauli: „Qui bene praeasant Presbyteri duplice honore digni habeantur, maxime, qui laborant verbo et doctrina.“ Examen autem concursuale non solum doctrinam explorat, sed insuper aetatem, mores, gravitatem, mansuetudinem, prudentiam pastoralem, peculiaria merita, zelum animarum, aliasque qualitates pro certa Parochia requisitas<sup>2)</sup>. Hinc approbatio non fit pro omni, sed pro certo beneficio; ideo potest esse quis approbatus pro Parochia rurali, qui sit approbatus pro urbe, quae peculiares qualificationes requirit.

<sup>1)</sup> I. Petri C. 3. v. 15.

<sup>2)</sup> Ad Timot. I. C. 5. v. 17.

**§ 30. Qui sunt admittendi, qui item non admittendi ad examen concursuale.**

Ad examen concursuale admittendi sunt omnes Presbyteri dioecesani seculares, sive sint beneficiati, sive non, qui tres annos in beneficio ecclesiastico, vel Presbyteratu exegerunt. 2) Extradioecesani quoque cum facultate proprii Episcopi admittendi sunt, nisi per speciale privilegium dioecesano Clero competens, ii exclusi essent\*), quo in easu dioecesani, extradioecesanis etiamsi dignioribus praferendi sunt. Non admittuntur autem ad examen concursuale macula morali affecti Presbyteri seculares, prout nec Religiosi pro beneficiis secularibus.

**§ 31. Examinatores Synodales.**

Examinant in examine pro Parochiis concursuali examinatores Synodales, qui, et quidem numero sex annue in Synodo dioecesana eligendi essent, ideo etiam vocantur Synodales: Quod si usque aliam Synodus dioecesanam ex electis aliqui decedant, aut secus munus eorum cesseret, potest Episcopus cum consensu Capituli juxta Decretum Clementis VIII. alias substituere; quodsi autem Synodus dioecesana non celebretur, Episcopus implorandam habet facultatem a S. Sede Apostolica alios examinatores extra Synodum nominandi, quae etiam datur Episcopis eligendi de consensu Capituli duodecim examinatores loco Synodalium, ad triennium duraturos; qui in examinibus promovendorum ad parochiales ecclesias perinde ad-

\*<sup>o</sup>) Vide Dr. Schöpf III. Band Seite 369. sub 3.

hiberi valeant, ac si in Synodo dioecesana fuissent electi; ita tamen, ut si qui ex electis in ultima Synodo supersint, iis etiam una cum a se electis Episcopus utatur; omnium vero, etiam dicto termino expiret potestas, quando celebrata fuerit Synodus. Examinatores Synodales, vel substituti loco Synodalium, debent esse viri idonei, Doctores vel Licentiati Theologiae, vel secus idonei, qui praevie, jurare debent, se suo munere, rejecto humano respectu perfuncturos esse. (Benedict. XIV. de S. D. L. IV. Cap. VII. Nr. I—XI.)

**§. 32. Objecta Examinis concursualis quoad doctrinam.**

Objecta examinis concursualis pro parochiis quoad doctrinam sunt: Dogmatica, Moralis, Catechetica, Homiletica, Jus Canonicum et Lyturgica, juxta constitutionem Benedicti XIV. scripto elucubranda, et quidem lingua latina, excepta catechesi et concione.

**§. 33. Effectus Examinis Concursualis.**

Effectus examinis concursualis est 1) Quod examinatus et approbatus in beneficium Parochiae pro qua concurrit eligibilis sit. 2) Electus examinatus jus habet ad Investituram, sub praesidio canonum constituitur, et nisi processu canonico mediante possit e possessione sui beneficii exturbari.

**§. 34. Investitura.**

Investitura sunt literae Episcopales, quibus electa persona ecclesiastica in Beneficium canonice institui-

tur et confirmatur, quarum virtute beneficiatus in suum beneficium introducitur et installatur; quam tamen praecedere debet professio fidei catholicae, jumentum item fidelitatis et obedientiae Episcopo Ordinario, et ejus successoribus praestandum.

### S 35. Tenores Investiturae.

Nos N. N. Episcopus etc. (plenus titulus) Inducti sufficientia tua, Aetatis maturitate, Literarum scientia, Morum gravitate, ac necessaria Ecclesiae N., cuius Parochia legitime vacaret, recepta a Te fidei catholicae professione, nec non juramento, quod nobis Ordinario tuo, successoribus nostris, nec non Vicario generali pro tempore constituto, ac Ecclesiae fidelis eris, obedientiam et reverentiam debitam exhibebis, item: quod jura Ecclesiastica et Cathedralia, nec non Protopopalia persolvendo, in spiritualibus et temporalibus, in divinisque bene et laudabiliter deservies, oneraque ecclesiae parochialis feres, ac debite supportabis; terras, domos, et alias possessiones, jura ecclesiae pro posse manutenebis et defendes. nihilque quo ad Ecclesiam pertinet abalienabis, distrahes, aut vendes, sed potius abalienata, distracta et vendita ad jus et proprietatem Ecclesiae parochialis reduces, et reduci procurabis; item quod Ecclesiam Parochialem sine licentia Nostra, aut successorum Nostrorum non permutabis, neque deseres, Auctoritate Nostra Ordinaria te in Parochum praefatae Ecclesiae N. erga praeresentationem N. (si ecclesia sit patronata) canonicę instituimus et confirmamus, volumusque, ut per Protopresbyterum N. in realem ejusdem parochiae et pertinentiarum illius possessionem vigore praesentium introducaris.

### S 36. Explicatio Investiturae.

#### a) *Inducti sufficientia tua.*

Per sufficientiam exprimitur idoneitas, quam sacri canones in providendis beneficiis requirunt; „Grave nimis est et absurdum inquietum Patres Concilli Lateranensis, ad ecclesiastica beneficia indignos promovere, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur. Inducti ergo sufficientia tua seu idoneitate omni respectu considerata, praevio examinatorum iudicio recognita,

#### b) *Aetatis Maturitate.*

Cum cura animarum Ars artium veteribus compellata, sit onus gravissimum, nec humeris cuiuscunque accommodatum, canones Ecclesiae pro ea certam aetatem requirunt; sic, Concilium Lateranense sub Alexandro 3-o statuit: „Paraecialis ecclesiae regimen nullus omnino suscipiat, nisi qui iam 25 aetatis annum attigerit.

#### c) *Literarum scientia.*

S. Apostolus Paulus requirit: ut ei regimen animarum committatur, qui potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, idest refutare, „Si Sacerdos est inquit S. Hieronymus\*) sciat legem Domini: si ignorat legem ipse se arguit non esse se Domini Sacerdotem: Sacerdotis etenim scire legem, et ad interrogationem respondere de

\*) Com. ad Cap. 2. Aggaci.

lege, sicut Propheta dicit:<sup>1)</sup> Quia tu scientiam repulisti; et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi" et S. Leo Magnus ait: „si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia.“ Per scientiam autem intelligitur imprimis scientia Theologiae, Sacrarum Scripturarum et Cononum.

*d) Morum Gravitate.*

Sacerdotum vita debet esse speculum, in quo quilibet qualis esse debeat conspiciat; sacerdotum vita debet esse aliorum eruditio, et salutis continua praedicatio. S. Paulus<sup>2)</sup> de Ministris altaris praescribit: „ut probentur prius et sic ministrent nullum crimen habentes.“ S. Hyeronymus autem inquit: „Vehementer Ecclesiam Christi destruit meliores esse Laicos quam Clericos.“ Imprimis autem illos Sacerdotes quibus animarum cura commissa est, quive immediatum in Gregem Christi exercent influxum relate ad gravitatem morum probandi sunt, ut non modo ab omni crimine immunes, sed et habitu quoque omnis virtutis christiana polleant, sint sobrii, non violenti, non turpis lucri cupidi, non leves, sed constantes in proposito, non austeri, sed discreti, charitatem habentes cum omnibus; non vani, sed temperantes, pacifici, modesti, compatientes, zelo salutis suae, et animarum concreditarum flagrantes cum prudentia. De qua prudentia pastorali egregie scribit S. Gregorius Nazianenus<sup>3)</sup> sequentibus: „Eorum singuli

<sup>1)</sup> Oscae Cap. 4. v. 6.

<sup>2)</sup> 1-o ad Timoth. Cap. 3. v. 10.

<sup>3)</sup> Oratione 1-a de fuga.

(de populo) cupiditatibus magis et affectibus inter se differunt, quam corporum figuris ac lineamentis — proinde nec facile regi gubernarique possunt. — Alios sermo dicit, alii exemplo componuntur, aliis calcaribus opus est, aliis fraeno; nam qui segnes sunt, atque ad bonum aegre impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt, hos orationis froeno coercere, ac cohibere praestiterit. Allis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio; utraque videlicet tempestive adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio; atque haec rursum alios, si palam arguantur, alios, si remotis arbitris admoneantur; quin etiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus; quatenus videlicet illorum cura id requirit. Alii rursum lenitate, et humilitate curandi sunt. Alios vincere, et ab aliis vinci plerumque utilius fuerit; atque aliorum opes et potentiam; aliorum inopiaem et calamitatem vel laudare, vel deprecari. Talis morborum nostrorum cura est, tantusque bono pastori labor incumbit, qui gregis animas scite cognitus est, eisque juxta pastoralis artis leges praeiturus.“

*e) Ac necessitate Ecclesiae N. cuius Parochia legitime vacaret.*

Superiori §. 27. expositum est qualis parochia legitime vacans et conferibilis sit.

*f) Recepta a te fidei catholicae professione, nec non juramento.*

Probatae fidei debent esse illi, qui regimen animalium suscipiunt, de quo ut Ecclesia convincatur, professionem fidei eos elicere praescripsit, et quidem

Episcopos in actu consecrationis<sup>1)</sup> Parochi autem fidei professionem eliciendam habent in manibus sui Episcopi, aut ejus Vicarii, juxta formam ab Urbano Pontifice pro graeco catholicis praescriptam, addito juramento fidelitatis. Quale autem sit hoc juramentum, sequentia indicant.

*g) Quod Nobis Ordinario tuo, successoribusque nostris etc. fidelis eris.*

Fidelitas designat sinceritatem, non fucatam quamquam et dolosam simulationem, sed germanum illum animi candorem erga Praelatum, qui nihil obvelare, sed secundum facti veritatem omnia adaperire conservavit; quam indicat Canon<sup>2)</sup> sequentibus: „Ministri infucata Episcopo suo debeant exhibere obsequia, specialiter autem ad fidelitatem ejus qui jurat requiruntur: ut illi cui jurat non sit in damnum in corpore, et in rebus, ac in justitia sua, et alias ad honorem et honestatem ipsius pertinentibus in domo sua, et extra consilio, auxilio, vel permissione; imo debet et teneatur omnibus talibus quantum potest obsistere et observare; non debet etiam secreta sibi manifestata revealare; sed nec debet se reddere difficilem ad facendum ea quae sunt facilia; nec debet facere sibi impossibile quod facere potest. Et quia secundum Apostolum non sufficit solum non nocere, sed oportet et prodesse, id est ut jurans assistat ei, cui sinceram fidelitatem juravit omni consilio et auxilio, cohibi-

tione aliorum quoque ne noceant, et animando, ut et illi prosint.

*h) Obedientiam et reverentiam debitam exhibebis.*

Canones Orientales aperte enunciant, omnem Presbyterorum potestatem in gregem Domini a Deo per Episcopum dimanare, utque Presbyteri et Diaconi nihil faciant sine, eo minus autem contra sententiam Episcopi, cum principaliter Episcopo cura gregis Domini et responsabilitas commissa sit.<sup>1)</sup> Unde patet Presbyteros in omni suo officio secundum voluntatem sui Episcopi versari, mandataque ejus prompte exequi; nihil item contra voluntatem ejus agere debere, dicente S. Ignatio in Epistola ad Trallianos: „Cuncti obedient Episcopo ut Christo.“ S. Hyeronymus autem<sup>2)</sup> inquit „Salus Ecclesiae in summi Sacerdotis (Episcopi) dignitate pendet; cui si non eminentia quaedam in Clerum datur potestas, tot in Ecclesia erunt schismata quot Sacerdotes.“ Haecque, voluntatem Episcopi exequendi promptitudo, seu obedientia, tantum est officium, ut etiam in dubio, an id quod praecepitur licitum sit nec ne? semper sit obsequendum.<sup>3)</sup> Sed nec simulata virtutum affectatione obedientia denegari potest<sup>4)</sup> imo nec ulla prae scriptio in contrarium obtendi. Inobedientes juxta Canones depositionis poena plectuntur.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Canon S.S. Apostolor. 39.

<sup>2)</sup> Dialog. advertus Lucif.

<sup>3)</sup> Can. 4. Caa. 23. qu. 1.

<sup>4)</sup> Caa. 11. qu. 3. C. 13.

<sup>5)</sup> Cap. 2, 5, de Mai et obed. Can. 11. Caa. 11. qu. 3.

<sup>1)</sup> Vide ritum consecrationis Episcoporum Ecclesiae Orientalis.

<sup>2)</sup> Can. XIV. Caa. 11. qu. 3.

Reverentia autem denotat devotionem et cultum; amorem et timorem Episcopo debitum, Can. LV. SS. Apostolorum decernit: „Si quis Clericus Episcopum contumelia affecerit deponatur: Principi enim populi tui non maledices.“ S. Ignatius Martyr autem\*) „Cuncti inquit revereantur Episcopum ut Jesus Christus Patrem.“ Quae jura reverentialia etiam ab iis, qui ei non subsunt, et reverentiam exhibituros non jurarunt, praestanda sunt. Sunt autem haec jura reverentialia praecipua.

1) Ut Episcopo superior ac eminentior in ecclesia tribuatur locus.

2) Ad Ecclesiam procedenti ab universo Clero comitiva processus tribuatur.

3) Observetur in sacris functionibus caerimoniarum praescriptarum majestas; neque negentur Insignia honoris episcopalnis propria.

4) Competens Episcopo titulorum magnificentia tribuatur.

5) Benedictio Episcopalis inclinato capite excipiatur, ceteraque eximia honoris et venerationis indicia quibus Episcopi ab antiquo ornabantur tribuantur.\*)

i) Item, quod jura Ecclesiastica et Cathedralia, nec non Protopopalia.

Per haec jura intelliguntur sic dicta legis dioecesanae, seu praestationes, quae sunt ecclesiasticae, quia praestantur ob curam generalem omnium eccl-

\*) Vid. Tomassin V. et N. Eccl. Disciplina Libr. 2. Cap. 58. et Concil. Carthag. 4. Can. 35.

siarum dioecesis, et cathedralica, quae ob honorem cathedrae dependi debent: protopopalia item, quae Protopresbyteris qua Episcoporum Vicariis aut Commissariis praestanda sunt. Iuxta antiquos canones cathedralicū alias synodaticū a quolibet Beneficio efficiebat duos Aureos, item quarta pars proventuum singularium Episcopum concernebant, ideo praestatio quartadecimana, seu quarta pars decimarum; quartam mortuariorum, sive funeralium, seu quarta pars legati, aut donationis alicui ecclesiae factae. Praeter has praestationes erat adhuc in usu subsidium charitativum, quod Episcopus ex necessitate aut rationabili causa exigebat. Legibus autem Uladislai Regis Hungariae<sup>1)</sup> cautum est, ut charitativum subsidium nisi semel occasione redēctionis Bullarum Praelati exigere audeant; item Procurationes, seu modici ad frugalem victum necessarii sumptus, qui Episcopo debentur Parochias visitanti<sup>2)</sup>; denique competentia Protopresbyterorum, si pro Episcopis visitationes parochiarum instituunt.<sup>3)</sup>

Hodie hae praestationes in Dioecesibus graecocatholicis in usu non sunt, excepto frugali victu, qui Protopresbyteris visitantibus praestatur, insuper praejuncturae, et secundum arbitrium Episcopi diurnum e cassa ecclesiae visitatae, quod duos florenos excedere non debet.

<sup>1)</sup> Decret. 3. Art. 69. et Decret. 5. Artic. 12.

<sup>2)</sup> Cap. 19. et 23. de Censu.

<sup>3)</sup> Cap. 10. De offic. Archi-Diaconor. et Cap. 23. de censu.

*k) In spiritualibus et temporalibus, in divinisque bene et laudabiliter deserviam, oneraque Ecclesiae parochialis feram, et debite supportabo.*

Quoad spiritualia Patres Tridentini\*) obligationes Beneficiatorum sequentibus enunciarunt: „Praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilitum personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere.“ Itaque in spiritualibus et divinis bene, et laudabiliter deservire significat: comparare sibi comissi gregis exactam notitiam ut aptam cuiuslibet morbo in tempore medicinam spiritualem porrigere possit; pro credito sibi populo assidue Deum orare, incursumque sacrificium offerre; Divinorum ordinem praescriptum secundum typicon exacte observare; tam publice quam privatim, et quotiescumque se offert occasio populum docere et catechisare; in administratione sacramentorum se promptum et zelosum praestare et pauperum curam gerere. Quod autem concernit temporalia, animarum Curatores debent habere curam omnium bonorum ecclesiae, sive mobilia, aut in pecuniis foundationalibus consistant, ut non deteriorentur aut quoctunque modo pessumeant. Nec minus ad sollicitudinem Beneficiati spectat, ut annui reditus in eos in quos destinati sunt usus convertantur.

\*) Sessione 23. Cap. 1. de Reformat.

*l) Terras, Domos, et alias Possessiones, Juraque Ecclesiae pro posse manutenebis, et defendes, nihilque quod ad Ecclesiam pertinet abalienabis, distracthes, aut vendes, sed potius abalienata, distracta et vendita ad jus et proprietatem ecclesiae parochialis reduces, et redici procurabis.*

Defensio hic intelligitur, quae privatas injurias, rapacitatem, fraudulentiam, et furtivam subductionem pro objecto habet. Non item eo sensu intelligenda est, quasi jura possessionaria Ecclesiae suae vel Beneficii in litem coram legitimo judice deducta per se ipsos Beneficiati tueri et defendere obligarentur; quoties enim talis casus occurrit, seu dum iura ecclesiae et Beneficii juridice defendenda sunt, ad supremum per dioecesim bonorum rerumque ecclesiasticarum administratorem Episcopum, recurrentem habent, qui medio Advocatorum negotium coram judice prosequetur.

Nomine autem abalienationis vetitae intelligitur non solum dominii translatio quocunque titulo facta, sed et permutatio et omnis ille actus, per quem res ipsa ecclesiae vel beneficio quocunque modo admittitur, reditus diminuuntur, aut ecclesia impeditur, quominus re illa plene et libere uti, aut ejus emolumendum et proventum percipere queat. Hinc res ecclesiae nec vendi, nec donari, nec permutari, nec infeudari, nec in Emphytheusim<sup>1)</sup> concedi possit. Nec licet bona, et res ecclesiasticas impignorare.<sup>2)</sup> Nec de-

<sup>1)</sup> Emphythensis est, dum rei alicujus utile dominium ad tempus, vel pro perpetuo traditur, erga pensum in recognitionem juris dominialis. Can. 52. Caa. 12. q. 2.

<sup>2)</sup> Art. 31. 1567.

rebus ecclesiasticis transigere, quia est via ad abalienationem.<sup>1)</sup> Nec subditos manumittere.<sup>2)</sup> Nec prædia in longius tempus elocare.<sup>3)</sup>

*m) Item, quod Ecclesiam parochialem sine licentia nostra, aut successorum nostrorum non permutabis neque deseres.*

Per investituarum ecclesia fit sponsa Beneficiati, quam illi perfide, nisi per Episcopum e rationabili causa a vinculo solvatur, deserere non licet. Quosuper concilium Nicaenum I. Canone 16. statuit: „Si qui sine respectu agentes, et timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta scientes ab ecclesia sua recesserint sive Presbyteri, sive Diaconi, hi nunquam recipi debent in ecclesia, sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad ecclesias suas, aut si permanescerint excommunicatos eos esse oportet.“ Duo autem in hac pollicitatione includuntur, 1) desertio possessionis per longiorem inconsulto Episcopo, sive sine licentia ejus absentiam. 2) Abdicatio tituli et omnis juris; quoad 1-um Canone XVI. Concilii Sardicensis statuitur: Ne praesummant Presbyteri et Diaconi ultra tres septimanas gregem suum deserere; quoad 2-dum, totalis renunciatio beneficij nonnisi e rationabilibus causis per Episcopum acceptari potest, quas Innocentius III. Cap. 9. et 10. de Renunciatione enumerat, inter quas tamen consecutio beneficij pingvioris non occurrit; imo si quis legitime sortitus est ecclesiam, et quaerit occasionem

<sup>1)</sup> C. 2. et 8. de Trans.

<sup>2)</sup> C. 3. de reb. eccl. alienand. vel non.

<sup>3)</sup> Extravag. de Reb. Eccl. non alienand.

ut eam dimittat, quia alia pingvior est et uberior, secundum poenam canonibus statutam puniendus est, et in ea manere cogatur omni tempore vitae suae.“ Hoc principium obtinet, etiam relate ad permutationem beneficiorum, quae si fiat cum pactionibus, ut unus alteri aliqua emolumenta praestet, labem simoniae continet et jure vetatur.<sup>1)</sup> Quia tamen aliquando contingere potest, ut qui uni loco minus utilis, alteri loco utilius deservire queat, poterit Episcopus beneficiatum ex uno loco ad alium transferre, ut alibi valeat se utilius exercere.<sup>2)</sup>

His concluditur Juramentum parochiale, Formula autem Investiturae continuative sequentia adhuc continet.

*n) Auctoritate nostra Ordinaria te in Parochiam præfatae Ecclesiae N. (erga præsentationem N.) canonice instituimus et confirmamus.*

Clausula: erga præsentationem N. indicat præsentationem Beneficiati per Patronum si ecclesia sit patronata, secùs clausula illa exmittitur. Præsentatio autem per Patronum jus tantum ad Beneficium tribuit; jus vero in Beneficium nonnisi per canonicam ab Episcopo institutionem sive Investituram acquiritur. Hodie Patroni sunt ad propositionem Episcopi adstricti, cum de idoneitate alicujus ad beneficium ad Episcopum spectet judicare.

<sup>1)</sup> Cap. 8. de Praeb. et Cap. 5. de rerum permitt.

<sup>2)</sup> Cap. 5. de rer. permitt.

*o) Volumusque, ut per Proto-Presbyterum (apud Latinos: Archi-Diaconum) in realem ejusdem Parochiae, et pertinentiarum illius possessionem vigore Praesentium introducaris.*

Institutio realis Installatio dicta, est solemnis traditio Beneficii perfecta Investitura, seu mandato Episcopi, ac traditione in conspectu fidelium Ecclesiae, clavum Ecclesiae, in symbolum potestatis in eam traditae. Peragitur per Proto-Presbyterum, qua Commissarium Episcopalem ex delegatione, in praesentia Patroni, si adsit, aut ejus vices gerentis; qua occasione omnes res ad Ecclesiam et Parochiam spectantes penes inventaria ab utrinque subscribenda, et per Beneficiatum recipienda sunt.<sup>1)</sup>

### § 37. De Jure Patronatus.

Primis quinque Ecclesiae christianaee saeculis officia et beneficia minora conferebantur per Episcopos sine omni alieno influxu, saeculo autem VI. in Oriente benefactoribus Ecclesiarum jura attributa sunt, et initio quidem nomina ipsorum dipticis ecclesiae inscripta, dein influxus in administrationem bonorum ecclesiae, demum jus praesentandi Beneficiatum tributum est, quod tamen leges civiles<sup>2)</sup> ita restrinxerunt, ut acceptatio personae ecclesiasticae per benefactorem electae ab Episcopo dependeat. Ex hinc ortum est jus Patronatus, quod initio benefactori ad personam tantum collatum est, tardius ad haeredes

<sup>1)</sup> Vide Methodus gubernandi Parochiam Tom. 2. Tyrnatiæ 1803.

<sup>2)</sup> Vide Nov. Justin 57. C. 2. et Nov. 123. C. 18.

quoque et quidem non solum naturales, sed etiam successores legitimos in possessione Dominii, aut Boni cui adjunctum est, jus patronatus devolutum.

### § 38. Modi acquirendi Jus Patronatus.

Patronum faciunt fundus, aedificatio, dos, singula tamen ex dictis liberalitas sufficit ad obtinendum Patronatus honorem, unde si plures concurrant ad doctandam, fundandam et exstruendam Ecclesiam, omnibus simul jus patronatus competere potest; quo in casu aut in simul praesentant, aut per turnum, sive per vices. Etiamsi autem his jus patronatus acquiri possit, attamen cum in genere dici debeat jus Patronatus esse privilegium ab ecclesia concessum, praeter jus patronatus reale datur etiam jus tale personale, quod non fundo, sed personae inhaeret.

### § 39. Diversitates juris Patronatus.

Jus patronatus vel est ecclesiasticum, vel laicale ecclesiasticum est, quod competit personae ecclesiasticae qua tali relate ad bonum ecclesiasticum, quale est Episcoporum in bonis episcopatus, vel Capitularum, aut conventuum Religiosorum, qua corporacionum ecclesiasticarum relate ad bona Capituli vel Ordinis; vel denique si laicus patronus jus suum Claustro vel Capitulo tradit. Jus patronatus laicale autem est, quod alicui sive Laico sive Clerico competit ratione proprii patrimonii, vel acquisiti cum jure patronatus privati boni.

Distingvitur autem jus patronatus ecclesiasticum a laicali in sequentibus 1) quod Patronus ecclesiasticus intra sex, laicus vero intra quatuor menses